














WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

MANUALE RERUM ADMIRABILIUM ET ABSTRUSARUM:

Continens

Venerandæ Antiquitatis:

ASSYRIORUM, CHALDAEORUM, PERSARUM, ÆGYPTIORUM, ARABUM & GRAECORUM,

Philosophorum & Medicorum, Regum & Principum, Gentilium, & Plebeiorum

PHILOSOPHICA & MEDICA

PRINCIPIA:

sub

IDEA simpliciter *ELEMENTARI*, INTELLECTUALI,

Vera Iucunditatis Philosophica causa, ex liberalitate diversorum auctorum, horu surreptitiis,

CONCEPTA: &

Ingenii excitandi gratiâ, Fideli genii adminiculo, Tempestate primitiarum sereniori,

Edita per

D. GODFRID. SMOLL. Chi-Miatrum.

HAMBVRGI,
Ex bibliopolio FROBENIANO, Anno 1610.



THEOPHRASTUS EX SENTENTIA HERACLITI.

Res mundi pulcherrimæ ob arrogantiam hominum ignorantur, dum nihil ſtatuunt credere, niſi humana mens rationem illius perceperit.



AD DIVI
MICHAELIS ARCHANGELI,
in illustri
LVNÆBVRGA,
DOMINIS:
Dn. CONRADO à BOTHMAR
Abbati:
Dn. JOANNI VVILLIKEN à VVEIHE
Priori:
Dn. JOHANNI à KLENCKE
Cellario:

Cæterisq;
DOMINIS CONVENTVALIBVS;
Viris Illustribus,
Viris Reverendissimis,
Viris Nobilissimis;
suis
Mœcenatibus,
Patronis, &
Fautoribus
Animo officiosissimus
Mente observantissimus
S. P. D.
Godfrid Smoll, P. & M.

TRIA sunt, Domini Magnifici, mysticarum scientiarum summa & prima ENTIA: ex quibus tanquam à generalissimis principiis verissima & antiquissima Philosophia originem ducit: principia nomino: & hæc sanè ardua. Desistendum autem non est; sed conandum, & quidem tantò impensius, quantò utilior & jucundior hæc contemplatio. Et quis in Aristotelis scriptis tàm parum versatus & exercitatus; qui non videat quod nihil Philosophus ex professo aggressus sit; quod non vel manu tangere: vel oculis cernere; vel demonstratione consequi, quivis possit? & quis ex his colligeret, Philosophum se inter hos tantum limites tanquam in angusto vado coercuisse? Interdum enim naturæ ordinem prætergressus: mentem sursum erexit, & in cœlestium, & in divinarum rerum contemplationem transiliens: sermone equidem angusto, at augusto, & gravissimo sententiarum pondere, omnium quæ sunt,

&

& quæ fiunt deducit ab uno entium ENTE perfectissimo. Verùm qui evidentiam in his desiderat, capite saxo alliso cerebrum excutiet; ignorans cognitionem ejusmodi omninò extra sensus & supra captum humanæ mentis evolare; neque ullam posse eò pertingere demonstrationem: ut rectè monet ipse Philosophus in libris τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Idipsum Plato inter multa his ferè verbis annotat reverenter, & sanctissimè in Timæo: Scis ergo ô Socrates, multos de Deo Universique procreatione multa dixisse: nec mireris obsecro: si rationibus ea omnia, probatissimis, & exactissimis, demonstrare non possum. Satis enim factum putabis, si non minus probabiles quam quivis alius rationes attulerim. Justius est meminisse, & me disputantem, & vos judicantes, homines esse: ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requirat. Et in Epinomide Plato docet: cœlestia & horum principia Deo nota esse: atque ei qui Dei amicus est; & neminem hæc rectè discere & docere posse, nisi quem Deus adjuverit. Ideò in ea quam ad Dionysium scripsit epistolâ,

monet, ut eos tanquam barathrum declinet qui de Deo tanquam de iis quæ manibus teneri & deprehendi poſſunt, certas exigunt demonſtrationes. Sed quis non ex his quæ dicta ſunt graviſſimam & juſtam, contra Ariſtotelem & me, enucleabit reprehenſionem? adverſus Philoſophum, tanquam illum qui ſupra naturam intellectũ elevans, de abditis rebus, quarum inveſtigatio nullo ſyllogiſmo colligi poteſt, diſputare poſſibile exiſtimârit. Adverſum me, qui vetuſtiſſimorum ſapientum, mathematicorum, & theologorum abſtruſiorem ſapientiam imitari, & Ideali intellectu inveſtigare vix timuerim. Is habeat, ſitim cavillandi quo reſtinguat, pro Ariſtotele hoc: quod Eudoxus apud Fernelium affert his verbis: Si quis fortè erit, qui tam rudẽ tamq́ue conſilii & ingenii expertem Ariſtotelem ſuſpicabitur, ut his elementis & corporibus perpetuò inhæreſcat, ſummã cauſam ſtatuat gubernantem hæc omnia quæ cernimus: audiat quæſo ut duplicem ille mundum ſtabiliverit: aſpectabilem hunc concretum & corporeum: alterum ſuperiorem

riorem

riorem sensus nostros effugientem, incorporeum: qui totus formis plenus est; & simplicibus impermistis: solutis, liberisq; ab omni corpore & dimensione: mentibus beatissima & exoptanda maximè Dei divorumq; domus, archetypus, & exemplar hujus inferioris caduciq; mundi. Hoc Aristoteles fusius declarat: & quid de DEO sentiat, passim in metaphysicis, ubi Dei vitam contemplationem æternitatemq; interpretatur, reperitur. Cur itaq; Philosophus, quomodo, & quantum de ENTE perfectissimo omnem rationem, & indagationem exactam effugiente disputaverit, cuivis patere arbitror. Sileat ergo graculus inter luscinias. Me quod attinet: ille hoc, cui bilis calumniandi turget, hauriat mitigatorium: dum apertè illi obloquar: quod eos conceptus quibus Idæa hæc constat, ignoret. Ut autem erudiatur, triplex sciat esse secundum priscos sapientes, Universum: 1. Elementare: 2. Cœleste: & 3. Intellectuale. Nec quisquã autumet, hanc distributionem sine causa factam fuisse: & eandem ab Aristotelis mente differre. Adsunt

rationes, quibus id quod asseveratur, & demonstratur & confirmatur. Adest mystica principiorum cognitio: requisitorum seu mediorum arcana & plus quàm artificiosa dispositio: & supernaturalis ac divina operatio. Patebit itaq; ex his facilis elusio introducta illius discrepantiæ Aristotelicæ, & Priscorum Philosophiæ. Siquidem Philosophus cœlestem & elementarem semicirculum conjungens, ex his unum E N S *corporeum, concavum, & rotundum construxit: & quidem rectè, secundum Philosophiæ suæ præsuppositа & ordinem, ac postea propter necessitatem cohærentiæ, ac contemplationis: utriusq;: tàm generum quàm specierum. Veterum autem philosophandi modus, cum non in nudo intellectu positus, acquiescat: sed omnia ad operationem & finem cæremonialem dirigat: oportuit priscos Philosophos eas Universi regiones, ex quibus distincta principia & media ad actionem resultant, abstrusè disjungere, ne contraria, inscii confunderent, contra naturæ regulas: & consequenter, ne fine propter quem laborant,*

desti-

destituantur. Siquidem tria illa Universa & continentia, ita inter se discrepant, ut ordine quodam unumquodque inferius à superiori regatur. Hinc 1. vires influunt: hinc ipse omnium rerum opifex, & creator primus & summus cognoscitur: hinc angeli, 2. cœli, stellæ, elementa. 3. animalia, plantæ, metalla & lapides suam omnipotentiam ex primi motoris primâ gratiâ in nos transfundunt. Et non opinor quempiam ita stupidum fore, qui negare audebit: hæc omnia (cum propter nostrum ministerium creata sint) occultam quandam affectionem & correspondentiam cum nostris corporibus (quatenus totum compositum intelligitur, non solùm quo ad genericam, & specificam; sed etiam juxta diversificationem individualem) fovere & participare. Hinc fit ut illi qui hujus affinitatis mysticæ naturam, ad intima quæque rerum penetralia descendendo agnoscunt: per ejusdem catenationis ordines, & per singula continentia, ad Archetypum & intellectualem regionem omnium opificem & primum movens; à quo & per quod

sunt & fiunt omnia, conscendere queant. Hi non solùm rerum præstantissimarum virtutibus præexistentibus perfruuntur: sed alias insuper raras & admirandas inexplicabili mutuaq; illa familiaritate, desuper adsciscunt vires: illi ipsi etiam veram, antiquam, & solidam medicinam ac naturalem Philosophiam ex virtutibus variisq; rerum naturalium mixtionibus in mundo elementari, astruunt. Prætereà ab opere incepto non desistentes: sublimiùs adhuc ascendunt, conjunctiones, influxus, & virtutes omnes in cœlesti mundo ad normam priscæ astrologicæ & mathematicæ disciplinæ, investigant: atq; hæc omnia elementaribus corporibus, causâ actionum futurarum, adjungunt. Cæterum utrumq; hoc, infinitarum, supremarum, & spiritualium potestatum, intelligentiarumq; benevolentiâ, virtute, & auxilio, religiose atq; reverentiali agendi modo, confirmant & concludunt. At, quid animum legentis suspendo? deveniendum ad rem ipsam: quæ ut pulchra est & jucunda, ita difficilis & admiranda. Quamobrem

veniâ

veniâ dignum fore arbitror, si ea quæ inter difficillima negotia facilia sunt, præmisero. Re enim accuratiùs considerata, primo statim intuitu apparet, quod homini, minoris ætatis, ingenii & literaturæ exilioris, nihil in scribendo laudabilius esse possit, quam si ea, quæ ad perfectionem medici magis necessaria, magisq; nota sunt, primò tradat. Ideo factum ut hanc Ideam: qua vero medico ad perfectionem tendenti nihil conducibilius, nihil magis necessarium: in hac mea juvenili ætate non in multa quiete sed partim in laboriosis itineribus: partim horis successivis & emendicatis conceperim; & in otio satis negotioso ediderim: reservans altiora & diviniora in annos (si fata volunt) exactioris & argutioris ætatis. Tracto igitur hic solum ea quæ singularia sunt in regione elementari: haud medicastris & spuriis libellistis, qui nunquam ex ungue subtilitatibus (utinam inferiores & simpliciores disciplinas exactè & ex fundamento didicissent) Philosophicis & Medicis invigilarunt, intelligibilia. Sed

parùm refert: quippè ſecretiora & majora ſecretioribus & majoribus ingeniis conſecranda: idiotis, & minorum gentium diis, holocauſtum cornuum bovinorum ſufficit. Reſtat tandem, ut huic meo tractatui præter formam quâ conſtat Idealem corpus quoq; adinveniam: quo fulciatur in quo conquieſcat: & cujus patrocinio magnifico & robuſto, facilè flammas invidorum, & Zoilorum ictus effugiat, virulentaq; mentis ſpicula alacrius confringat. Ad vos itaq; Dominos illuſtres, Reverendiſſimos Nobiliſſimos me converto, in veſtrum favorem, defenſionem & benevolentem animum, has meas primitias, depono: nec ſine cauſa: non quod magnoperè his indigeatis, & in veſtros uſus, hoc quantum quantum, converti poſſe confidam: verum enimvero juſſit hoc veſtri ordinis reverenda dignitas, quæ vobis cum priſcis ſapientibus communis eſt, ſi vitæ genus ſpectamus: Poſtulavit ſumma ſapientia, & literarum utraq; ſcientia: extorſit fulgentiſſimum vereq; nobile generis ornamentum: & firmiſſimum pietatis ac ſacræ

Philo-

Philoſophiæ (cujus hæc Idea particula prima) præcipuum fulcimentum. Suſcipite ergo formalem hanc meam Ideam; & eandem veſtro favore; benevolaq; affectione; qua me hactenus proſequuti fuiſtis: & in poſterùm ſi libera & immutabili divinæ voluntati

——— quæ tempora rerum
Novit: & alternas verſat in orbe vices.
Ipſa quod in rem ſit faciet ———

viſum fuerit, proſequimini: fovete & conſervate. Ego juxta Ideam hanc, corpus & mentem meam; vobis; ad omnis generis officia: quantum ad me pertinere & vultis, & confiditis: devoveo paratiſſimam. His ſalubriter & feliciter, valete. Ipſo die Petri & Pauli Anno 1609. Lunæburgi.

LECTORI APERTO S.

EN amiciſſime mi, manum quam tibi porrigo, manu excipias: manum dico: dextram fidemq;: manum ingenuam, & ab apertâ animâ extenſam. Pri-

mum hoc est & præcipuum (exceptis Sibyllinis) quod profero: primum dico; in primo ætatis meæ circulo elaboratum. Accipe quæso hoc: lege, intellige, judica. Si placet Idea; corpus subesse opinare, quod magis placebit. Sed cave sinistre quid cogites; quin excuses simul, si memineris: quod perfectum & beatum ab omni parte nihil. Me posse aliquid, sed multa plura velle; perpende: hic quid tibi & aliis vel adsit vel desit, mox deprehendes. Si finem spectas, arduam subaudi jucunditatem: nullus; præter hanc. Utilitas maxima vero Philosopho, vero Medico, lux ingenii: splendor judicii: discursuum radii: spiritus in mente: intellectus in animâ. Et hæc, in minore mundo vel in homine sol est: hæc in sole lux est: hoc in luce lumen: hic in lumine splendor: hic in splendore calor: hæc in calore vita. Vitam dico, vitam Intellectualem: vitam spiritualem vel cœlestem: vitam elementarem & perfectam.

Vale amicissime mi.

Cla-

Clarissimo viro,

GOTFRIDO SMOLLIO

Doctori Medico, de rerum caussis philosophanti.

MEn etiam, Smolli, argutos strepere inter (olores,
Atq; librum versu condecorare jubes?
Et libet, & tadet; versant contraria mentem;
Obsequor, & fugio, doq; negoq; simul.
Testor amicitiam facilis; laudare libellum
At mea vota mihi surda Camœna negat.
Ni neget illa, neget tamen hoc quod fertur, Iaccho
Vendibili appensâ non opus esse hederâ.
Sic & habes, nec habes, Smolli, quæ iuncta petisti
Cumq; alterum & neutrum desit, utrumq; tenes.

Joan. Domannus JC. inclytæ HANSÆ Teutonicæ Syndicus, Lubecæ Hansaugustæ f. prid. Non. Quintil. Anno M. DC. IX.

In Excelllentissimi Philosophi & Medici

Dn. GOTHOFREDI SMOLLII,

mysticorum elementariorum,

Ideam.

INclusam Danâen, non turris ahenea quondam,
Robustæq; fores, excubiæq; canum,

Qui-

Quiverunt munire ſatis, quin verſus in aurũ
Juppiter arcanos poſſet inire ſinus:
Nec ſua ſacra homini, ut fingunt, natura negavit
Invida, ſed precio proſtat (inempta) ſuo.
Doctrinæ precium labor eſt: labor omnia vincit:
Poſſeſſor, precio hoc qui licitatur erit.
Smollius eſt teſtis, cujus ſolertia rerum
Semina ſuffuſis eruit è tenebris.
I nunc & vitam fruſtra miſerare fugacem:
Longa homini ſatis eſt, quando operoſa ſatis.
Tu perge ô Smolli, & cæpto feliciter inſta
Deq; ipsâ tandem, victor oves Danaë.

Georgius Schumacher Senator & legatus Reipub. Lunæburg. in comitiis Hanſæ Teutonicæ funditabat. Lubecæ poſtrid. Idus M. ias anno 1609.

THOMÆ SEGETHI Scoti.

SMollius ut vigili, conceptos mente labores,
Sæcula victuras rettulit in tabulas:
Obſtupuit natura, & dixit victa ſtupore,
Ad mea ſacra homini, quis patefecit iter.
Hamburgi.

ALIUD.


ESſendi occultam naturæ inquirere formam
Res magna! Ingeniũ poſtulat; & Geniũ.

Poſtu-

Postulat ingeniū & Geniū! res mira! sed omni,
Haud dat plasmator, talia dona viro:
Ergo te Smolli, quis non miretur in arte?
Quam prece non precio, mystica fata docent.
Pergas præfixam cursu contingere metam:
Hinc tibi post vitam gloria parta manet.


Lunæburgi.

Hinc Clarus Vivis.



T. in Epistola ad C.

I*Ustam arbitror ob causam numerum medicellorum submergi: quippe maxima horum pars, ardua culmina veræ Philosophiæ & Medicinæ non ascendit, ejusq; mysticos D D. vel prorsus non vidit, vel non cognovit. Itaq; rectè bovi gramina, asino fustes decernimus: saginatur sacchаro psittacus.*



Idem eidem.

M*Iramur judiciorum perversos impetus, quibus hæc ætas corripitur, in decernendis honorum titulis. Alios enim novos seu neotericos (propter, singulare verum, & antiquum Galeno-hermeticum*

curan-

curandi filum, ex sepulchris manium sapientiæ ethnicæ protractum) proclamitant medicos: alios veteres propter communem novum & hactenus vulgariter receptum medendi modum & ordinem, appellitant. Posteriorem practicandi ductum non pauci illorum sequuntur, qui se annosos vocant; propterea forsan, quod audacter quasvis aggrediantur curas, etiam morbo & nomine morbi incognito; decepti medicamentorum solitorum & malâ consuetudine introductorum fiduciâ. Hi quoq; in morbis securissimis mortem prædicunt: cui suo prognostico ut satis faciant experimentis, quæ sine aliorum invidia securè in cartis tenent, homines enecant. Itaq; juniores medici hoc animadvertentes, plus quàm libenter illis hanc laudem ætatisq; titulum concedunt: & quando cum illis in curis concurrunt, non rarò intentiones curativas & adminicula suggerunt, firmioresq; in cognitione morbi & exactiores in prognosticis deprehenduntur.



IDEÆ ELEMENTARIS INTELLECTVALIS SIMPLICITER,

CAPUT PRIMUM.

DE ACCEPTIONE TITVLI, QVID PER IDEam elementarem audiendum.



LEMENTORUM contemplationem summè necessariam esse Medico Philosopho, omnes uno ore affirmant, experientiâ & utilitate, manifestis, coacti, Philosophiæ & Medicinæ scriptores. Quicquid enim Medicis in considerationem venit, finis præstantioris ratione investigatur, in quem universus ordo compositionis cujuslibet partis compositæ, uniuscujusq; Entis, deponitur: ita ut

totum quod exiſtit, ex elementorum permixtione phyſica conſtare, methodo reſolutionis fateri cogantur. Hunc eundem philoſophandi, & juxta veræ Philoſophiæ normas, practicandi, modum, propter primorum principiorum exactiſſimam cognitionem, in illis, qui ſe ex profeſſione Medicos rationum nominant, maximè requiri extra controverſia eſt poſitum. Cum ergo hujus mei inſtituti ratio ex dictis eluceat, cuivis ad ſcribendum quæ me impulerint, patebunt cauſæ. Animadvertendum: quod à communi modo quo ſolent in phyſicis elementa conſiderari, in hac Idea diſcedam: & poſthabitis contemplationibus ſecundum phyſica principia: de elementis per ſe, quatenus talia: de exquiſita ratione mixtionis: de mixtorum paſſionibus: atque de aliis, quæ ad vulgariter receptam philoſophandi rationem, circa elementa & elementata pertinent, circumſtantiis nihil dicam: quæ o-

mnia

nnia aliud forum ab hoc alienum nihi requiri videntur. Conſiderantur ergo elementa in nunc, quatenus irtutum formas quasdam abſtractas & abſtruſas, ſupra corpora propria uibus inſunt, habent: easq; ſimplies & puras, ſecretas & individuas, uibus ſublunaria cum ſuperlunaribus commaritant ac connectunt, & nyſticè Ideata efficiunt. Hæc voce deæ elementaris innuuntur.

CAPUT II.

DE TRIPLICI PRISCÆ PHILOSOPHIAE FUNdamento: & de argumento hujus Idea.

TRIPLICI conſilio factum eſt, quod veteres ſapientes, primam partem hujus Philoſophiæ, ſolummodò ex naturalium rerum conſideratione: eo modo ut mox dicetur, onfecerint. Primò: ut ſtudioſum hujus Philoſophiæ prius erudirent e familiaritate, atque occultâ corre-

ſpon-

ſpondentiâ & amicitiâ, quam elementaria cum elementaribus ac cœleſtibus, atque contrà, inexplicabili connexionis vinculo, fovent. Poſtea, ut de proprio corpore, periculum facere diſcant diſcipuli, inquirendo: ad quamnam formam corpus magis inclinet: an ad elementarem, an ad cœleſtem. Tandem ut cognoſcant, an ad intellectualiũm formarum adeptionem bene diſpoſiti, & ad operationem digni inveniantur. Eſt enim hæc ſcientia maximæ poteſtatis: altiſſimorum myſteriorum capax: continens profundiſſimorum ſecretorũ ſcientiam, & omnium rerum naturam, potentiam, qualitatem, ſubſtantiam, virtutem, totiusq́; naturæ cognitionem: ac rerum inter ſe differentiam, convenientiamq́; docet. His ritè perceptis, legitimus & ſecurus agendi modus aggreditur, operationes & effecta ſequuntur, non vulgaria, ſed admiranda. Requiruntur autem ad hoc negotium ſanè arduum, unio vir-
tutum

tutum in rebus: applicatio naturæ inter se: & cum destinatis subjectis elementaribus, cœlestium inclinationũ virtus, copulatio, & connexio. Unde inter priscæ Philosophiæ assertores hac tempestate facilè princeps, astruit sapientissimè: ex dictis perfectissimam & summam scientiam, altiorem sanctioremq; Philosophiam: & deniq; hujus absolutissimam consummationem emanare, conflatam imò commaritatam ex tribus imperiosissimis scientiis: quibus unitur & ructuatur. Investigat enim summa & prima hæc sapientia in universum, mundi & rerum mixtarum, quæ in hoc continentur, naturam, causas, effectus, tempora, loca, eventus, modos, integritates, & partes, quatenus cum formis elementaribus Ideatis conveniunt. Rimatur porrò singulares & adæquales dimensiones, definitæ, planæ & simplicis naturæ: juxta motus & cœlestium progressus. Tandem ad Archetypum & Intelle-

ctum

ctum ascendens: de Ente perfectissimo: de mente: de intelligentiis: quid unumquodque sit, disputat: Angelorum, dæmonum, & animę, juxta præsupposita Philosophiæ, essentiam declarat. Religionis quoq; capita: ut sacra mandata: ritus: templa: observationes canonicas: & mystica ecclesiæ, persequitur. Accedit quod fidem miraculorum: virtutem verbi: figuras mysticas: operationes: mysteri signorum: leges cæremoniales: fa sacrorum, & jus religiosum ritè & sanctè nos scire doceat hæc ultim scientia. Ordine ergo philosophandi, incipiendum ab elementis: quorum Ideam simpliciter talem, in ho tractatulo proponam. Et cum duple hujus Ideæ consideratio sit: scientifica: (quam non μαντικὴν dixerim) & operativa. De illa sola quæ noticiam admirandæ unionis, sive concordiæ & discordiæ inferiorũ, partim etiam superiorum, inter se demonstrat: hîc tantum differam. Altera pars huju

Ideæ

ideæ: quæ de conjugio inferiorum cum superioribus absolutè disputat, tanquam proximius ad praxin accedens, fatis adhuc sacra est. Simili ratione modum operandi per scientiam hujus spiritualis formæ, & residuas partes principes, ob summam difficultatem & sanctitatem totius priscæ Philosophiæ, in aliud reservabo tempus.

CAPUT III.

DE ORIGINE ET AUCTORIBUS PRISCAE PHILosophiæ, cujus pars prima hæc Idæa est.

GRavissimos certè & sapientissimos inter varias gentes illos fuisse viros, qui Philosophiam hanc invenerunt, & inventam scriptis illustrarunt, nullum est dubium. Tempus originis quod attinet, hanc ante diluvium incepisse, post hoc iterum vivo adhuc Noha progerminasse, & tandem in varias gentes hu-

jus ſemina diſperſa fuiſſe, antiqua annotant hiſtoriarum monumenta. Hinc inter multas alias excelluerunt in hac ſcientia Aſſyrii, Chaldæi, Perſæ & Ægyptii: à quibus deinceps in Arabiam & Græciam derivata, excrevit. Apud Perſas inſignes in hac ſcientia fuerunt Sacerdotes, ſeu Theologi: qui Levitis in populo Dei propter doctrinæ ſacræ profeſſionem æquiparabantur, & in ſumma dignitate ac exiſtimatione vivebant. Siquidem unâ cum exercitio religionis & ſacrarum rerum tractatione, Philoſophiæ & ſtudiis ſublunaribus, incumbebant: atq; ſtatim à pueris ad hanc aſſuefacti, propter diligentiſſimam, & ſummè accuratam inſtitutionis formam, indies ad perfectiorem gravioremq́; philoſophandi modum aſcendebant: exemplo Chaldæorum, à quibus initia hujus Philoſophiæ hauſerant. Ex hoc fundamento Perſarum profeſſores facilè ſuperarunt ſummâ ſapientiâ & divinâ Philuſophiâ cæteros.

Res

Res clara eſt: nulla enim gravior cauſa, præter dictam fuit: quod Sacerdotes Perſici ſimul cum religionis cuſtodiâ, ſapientiæ quoq; Perſicæ explicationem, antiquorum monumentorum hiſtoriam, atq; regalium ſummas ad regnum pertinentes in conſervatione ſua habuerint: nec non ex veterum more acta & facta in imperio deſcripſerint. Cæterum ex Herodoto patet, illos in tanta dignitate floruiſſe, ut regi tanquam coadjutores in gubernatione adjungerentur: regem admonentes, moderantes, & in conſiliis inſtruentes. Hac poteſtate & licentiâ in regem acquiſitâ & conceſsâ, eò tandem pervenerunt, ut interfecto fratre Cambyſis regnum ad ſe rapere, honeſtum duxerint. Nec quenquam regiæ majeſtatis coronâ inaugurarunt Perſæ, qui non antea Philoſophiam hanc à Sacerdotibus didiciſſet. Ex his non adeò inconveniens colligitur: ſi magos illos ex Perſia Chriſto, ſtella præcurſore, dona

afferentes, reges fuiſſe vulgus credat.
Ex ſchola enim Danielis in Suſis, in
qua illuſtris reverà fuit propagatio
prophetiarum in illuſtres perſonas,
forte hi magi fuêre inſtar reliquia-
rum. Eos enim inter Perſas non in-
fimos fuiſſe ex eo videre eſt, quod na-
turæ, ſacrarum hiſtoriarum, & pro-
phetiarum, ſe peritiſſimos demon-
ſtrent poſteritati: ita ut haud ambi-
guè ſtatui poſſit, illos religiosè & ſan-
ctè vixiſſe, doctrinamq; Danielis cu-
ſtodiviſſe. Et ſicut noverant verum
Deum, & ſciebant quod ſtella oritu-
ra ſit ex Jacob, & Meſſiam venturum
in populo Judaico: ſic illos ſciviſſe
etiam aliquid, credibile eſt, de tem-
pore quod Daniel conſtituit, cum no-
minat 70. hebdomadas annorum:
hoc eſt annos 490. à reductione po-
puli ſeu exſtructione templi uſque ad
paſſionem Chriſti. Cæterum & hoc
dictorum non exiguum argumen-
tum eſt; quod tempus, imò momen-
tum & locum, nati filii Dei ex pro-
phetiis

phetiis in Persia, & regno Babylonico ab Israëlitis captivis, sparsis, præsciverint: stellæ quoq; apparentiam non vanam & fortuitam judicaverint. Accuratè enim hujus naturam investigaverant, tanquam summi Philosophi & Mathematici, ratione diductâ, à loco sive positu, in duplici forsan thesi: 1. quod non sit stella firmamenti: 2. neq; planeta. Illud: 1. quia superiores stellæ in octava sphæra, propter maximam distantiam non possunt significare locum humilem in terra: 2. ex stellis firmamenti non potest sumi præcise linea, quæ monstrat certum locum, seu unam aliquã certam domum. Hoc: quia planetæ intra Zodiacum siti sunt: stellam autem apparere extra Zodiacum, & alio motu procedere. Cometam quoque non esse divinabant: quia cometæ ex materia physica inflammantur: & diversificant, motu, positu, figura, conflagratione &c. Aliquid ergo hanc stellam esse sub luna in aëre ratioci-

nati ſunt: cum ex vicinia queat indicare breve illud ſpatium, quod eſt inter Hieroſolymam & Bethlehem. Tandem divinâ gratiâ illuminati nō caſu apparuiſſe hanc ſtellam crediderunt: ſed illam ſe præcedere, & ſupra diverſorium Mariæ ſtare, ut natum Filium Dei agnoſcerent. Quæ omnia in hunc finem dicta ſunt, ut conſtet, convenienter Græcos exiſtimaſſe in Perſia hanc Philoſophiam, cujus elementarem formam vel Ideam deſcripturus ſum, natam fuiſſe. Sentiant alii quid velint. Inter primos antiſtites, non tam propter inventionem, quam illuſtrationem hujus artis ſacræ inventæ, Zoroaſter & Zamolxis effulſerunt, quos ſecuti ſunt Abarris Hyperboreus, Charmondas, Damigeron, Eudoxus, Hermippus, & alii celebriores aſſertores: ut Triſmegiſtus Mercurius, Porphyrius, Jamblichus, Plotinus, Proclus, Dardanus, Orpheus Threicius, Germa Babilonicus, Apollonius Tyaneus, Gog Græ-
cus.

cus. In Græciam autem Osthanes, qui comitatus Xerxem seminaria hinc inde spargens, hanc Philosophiam transtulit: cujus eruditos libros ex sepulchro erutos illustravit atque absolvit Democritus Abderites: magnis voluminibus ex disciplina Apollonica Captidenis, & Dardani, Phænicum, decerptis. Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, & alii plures & illustres Philosophi, ad hanc discendam ad varia loca, ubi floruit hoc studium Philosophicum, navigarunt: reversi & hac instructi, sanctè prædicaverunt, & inter summa mysteria coluerunt. Præsertim autem Pythagoras & Plato, ob cupiditatem singularem discendi hanc Philosophiam, Memphiticos vates accesserunt: & penè totam Syriam, Ægyptum, Judæam, Chaldæorumq; scholas peragraverunt: ne sanctissimam, & divinorum mysteriorum plenissimam hanc scientiam ignorarent. Itaque quam peritissimi & exercitatissi-

mi extiterint hi viri in rerum naturalium contemplatione, non eſt obſcurum. Laborioſè enim rerum qualitates, & occultas proprietates, cujuslibet Entis phyſici venati ſunt: in cœleſtium quoq; inveſtigatione fuerunt ſagaciſſimi: in aſpectuum & variæ figuræ ſtellarum (ex quibus cujuslibet rei ſublimis virtus, & proprietas dependet, obſervationibus admodum occupati, deprehenduntur. In divinis quoque rebus fuêre ſubtiliſſimi: profundiſſimè conſiderantes ſubſtantias immateriales, quæ diſpenſant & adminiſtrant omnia. Hæc quia ſolidè intellexerunt, veros Philoſophos illos ipſos quis non proclamaret? extra dictorum enim ſcientiam, non datur aliquid perfecti in intelligentia: neq; ulla operatio artis, ſine tribus his inſtrumentis, dextrè & feliciter perficitur.

CAPUT IIII.

DE ELEMENTORUM DIDUCTIONE EX ORDINE creationis, quam ſcire vero Philoſopho expedit.

DErideat Epicurus, non omnino indolens, & voluptati ſolius animi deditus, omnia ea, quæ natura rerum continet: & infinitam ac ſummam principalis primordii, videlicet Dei omnium creatoris ſapientiam demonſtrant: derideat, & pœnas acerbiſſimas & juſtiſſimas epicureiſmi ſui perſolvat. Nos ſanioris mentis Chriſtianorum nomine notati, inter omnia, quæ Univerſum, ad ſummi architecti ſummam demonſtrandam ſapientiam, complectitur, dignè admiramur: & quorumcunq; Entium inter ſe abſolutiſſimam coagmentationem, συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν: admirandas harum vires, atque diſtinctas rerum formas: ex diverſis rebus,

earundemq; inter ſe vi & efficaciâ diverſimode temperatis, validiſſimoq; nexu, in unam coactis ac colligatis maſſam, congruente forinſecus ſpecie exornatam, devotè gementes, ſuſpicimus. Mittamus hic ea, quæ ſpecificè in omnibus quæ exiſtunt, & in iis quibus exiſtentia omnia ſubſiſtunt, majeſtatem Dei creatoris oſtendere poſſunt. Mittamus contemplationem primordialium principiorum τῶν φύσει ὄντων, quomodo ex his compoſitus ſit mundus: tranſeamus errorem, circa mundum per ſe, & ejus æternitatem, gratiâ Materiæ & Formæ, inveſtigandarum, ab Ariſtotele & Platone commiſſum: taceamus prima naturæ corpora, quæ ſunt ἐλύϑετα διαφανῆ, καὶ ἀδίοπτα, perſpicua & opaca, cœlum & terram. Nec de differentiis horum corporum: de materiâ cœli, ex diductione principiorum elementariorum, diſtinctâ & purâ; de diſcrimine corporum lucidorum inter ſe: de motu cœleſtium

corpo-

corporum: de motu elementorum, ſecundum principia naturalia: de illorum ſecundum hæc affectionibus: de naturâ Lucis peculiaris, & imperſcrutabilis: neq; tandem de conjunctione privationis cum materia, hic ſermo inſtituetur. Hoc tenendum: Ariſtotelem inter principia naturalia, tanquam principium per accidens, optimè quatenus Philoſophus, ſejungendo, collocaſſe privationem: quam Deus cum materiâ elementari copulavit, propter mutationem: cujus cauſa eſt in naturâ fientibus & ſubſiſtentibus: & quæ fit ordine quodam, & non incertis, fortuitis, & temerariis eventibus. Traductio itaq; & ſecretio primorum corporum, regionum & elementorum, progreditur ordine ad proceſſum philoſophiæ Ariſtotelicæ analogicum: per privationem, materiam & formam, causâ obſcuræ noſtræ intelligentiæ, directò, ut ſequitur. In principio facta eſt diſtinctio, regionis æthereæ & e-

lementaris. Hæc duplici modo pro-ceſſit. I. Abſolutâ terræ cœliq; fabri-câ, dicitur DEUS lucem in æthereâ, perſpicui tractus parte, quod firma-mentum eſt, accendiſſe, & inter no-ctem & diem diſcreviſſe. Hoc diſcri-men notatur inter ætheræ regionis naturam lucidam, in quam initio lux diffuſa fuit, atq; expanſa certo modo: & inter regionem elementarem luce carentem: cujus una pars opaca tota: altera cœleſti luci tota remanſit per-via. Rurſus dixit, *fiat firmamentum*: quo exprimitur alterum diſcrimen, inter ætheream regionem & elemen-tarem: indicans non tantum, τὸ πεπη-γνυμένον τῆς φύσεως καὶ συστάσεως: cœli (fluidæ mollisq; eſſentiæ) concretio-nem fixionemquè, ut ita dicam, in conſiſtentem ſoliditatem: ſed & τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀμετάβλητον, quod cœlum non debuit ſubjectum eſſe iis moti-bus & affectionibus, quas perpetua viciſſitudine permutatim ſubeunt, ac ſuſtinent elementaria, quæ & in-

tereunt

tereunt & renaſcuntur, & in alias vertuntur ſpecies, & habitudines mutant ſuas atq; affectiones: accretionibus, diminutionibus, alterationibus, levi occaſione facillimè, vel ordine naturæ vel præter ordinem naturæ, aliisquè de cauſis. II. Poſtea etiam, cum dixit plaſmator rerum, *fiat lux:* accenſa eſt lux in firmamento: non tàm diſtinctionem æthereæ regionis lucidæ, & elementorum opacæ, quàm lucis & qualitatum in elementis differentiam innuens. Lucis enim naturâ, ab elementorum materiâ ſegregatâ, eruit mox etiam terram, atque eam explicavit ex aquis, in deſtinatos alveos collectis, admirando artificio & conſilio ſapientiſſimus artifex. III. Tandem facta eſt diſtinctio reliquarum qualitatum in elementari mundo: (cujus Ideam præ manibus habemus) exceptis opaco & perſpicuo, quarum contraria in ſeſe mutuò actione cientur alternatim, atq; mutationes cauſant: commixtione ve-

rò ac earum contemperatione, naturæ ſecreto artificio regulatâ, mixtorum corporum conſtruuntur κρᾶσεις καὶ δυνάμεις, & conſervantur. Lux igitur facta eſt ab elementis diverſa. Et hæc inter ſe diſtincta ſunt, horumq; mixtione & transmutatione res fiunt: reſolutione intereunt; ac commoderatione exiſtunt, beneficio ſplendoris, & ex hoc caloris, qui de cœleſti luce refulſit, per projectum radiorum in terram colluſtratam ac fotam. Proximis quoque & contiguis elementis, ſolis ſiccis, humidis & frigidis qualitatibus conſtantibus, omniquè deſtitutis calore, ante lucis & perſpicui creationem, impreſſit calorem vivificum, ſplendor. Quod factum hoc fortaſſe modo, ut conjicere poſſum ex menſione diſtinctorum ſpaciorum diei ac noctis, primi diei creationis. Ante ſtellarum corpora, cum ipſo firmamento, abſoluti fuerunt, & ad motum continuum perpetuumq; incitati orbes cœleſtes: ex horum rapidiſſi-

pidissimo motu, ac circumactu efferbuit suprema pars aëris elementaris, quæ tenuitate ac perspicuitate reliquum aërem, terræ & aquis propiorem, longè vincit: atque his suum calorem communicat.

CAPUT V.

DE DISTINCTIS INTER SE ELEMENTORUM proprietatibus: & de eorundem radice transmutationum, quantum ad hanc Ideam sufficit.

EX dictis nata est distinctio eorum corporum, quæ quadripartita disjunctione Elementa vocantur à Philosophis: nempe ignis, aeris, aquæ, terræ: eorundemq́; primarum qualitatum, ut calidi, frigidi, humidi, sicci. Hæc enim quatuor elementa, primaria sunt fundamenta, omnium corporalium: siquidem ex his omnia elementata, in ipsis inferioribus

bus componuntur: non modo coacervativo, ſed transmutativo & unientente, rurſumquè corrumpuntur per modum reſolutivum. Notanda hic impuritas cujuslibet ſenſibilis elementi, cum ſecundum gradus perfectionis permixta ſint, & in ſe invicem transmutabilia: ut terra in via ad lutum liqueſcens, diſſolutaque fit aqua: ſed in via ad ingroſſationem, & indureſcentiam fit terra. Sed quorſum aquoſitas hæc? per calorem evaporans tranſit in aerem: & aër ſuper incaleſcens fit ignis: hic iterum hebetatus fit aër: extinctus planè vapor craſſus & aqueus infrigidatus fit terra: & ex ſuperaduſtione fit lapis aut ſulphur, ut in fulmine manifeſtum eſt. Vides geneſin elementorum mutuam, vides deſtructionem ad invicem: quæ duo ſi accuratius perpendes & cognoſces, poteris operari ſecundum hanc Philoſophiam feliciter, quocunque modo & ſpecie, quæcunq; placebunt. Partitur ergo terra

majo-

majori ſubtilitate: non ut transmutabilis & transmutata perdurans, ſed ut diſſoluta & in ſua menſtrua vel diſſolventia commixta, tandemquè ad formam priſtinam rediens. Fundamento contrario Plato aſſeruit, terrã abſolutè, (quo ad habitualitatem à naturâ ſpecifica egreſſa eſt) transmutabilem eſſe: reliqua verò elementa, & in ſe invicem & in hanc transmutari. Vides ergo Medice Philoſophe, baſin transmutationis elementaris: terram applica operationi tuæ & accuratiùs intelliges. Qualitatum ergo ſpecificarum uniuscujusque elementi numerus duplex: propria & impropria vel communis: quæ media dicitur proprietas, methodo mixtionis vel reſolutionis corporum edocente: quam ars imitatur in legitima Philoſophi operatione. Obſervet ergo ignem calidum, terram ſiccam, aquam frigidam, aerem humidum: obſervet ignem ſiccum, terram frigidam, aquam humidam, aerem

cali-

calidum. Modus contrarietatis accuratè percipiatur: qui consistit in duplicitate proprietatum contrariarũ, efficientium contrarietatem elementorum. Res ita se habet in igne & aqua per calidum & frigidum, in terra & aere per siccum & humidum, in terra & aere per frigidum & calidum &c. Stoicæ oppositionis elementorum, ex remotis proprietatibus fundamentum est in terra & aqua gravitas, in aere & igne levitas, in terra & aqua passibilitas, in aere & igne agibilitas: sed hæc minus firmiter & philosophicè dicta sunt. Alii hanc distinctionem habent: terræ asscribunt crassitiem, opacum, ariditatem, siccitatem & frigiditatem. Aquam ponunt puriorem & terra tenuiorem, perspicuam, frigidam ac humidam. Aerem statuunt tenuiorem & aqua limpidiorem, & propter tenuitatem substantiæ, tùm humidiorem tùm calidiorem: utpote qui calorem à cœli radiis reflexis coactisq; emanantem,

promptius

promptius admittit & recipit. Tenuiſſimus omnium ignis eſt, ac magis perſpicuus aere: & calidiſſimus ὑπερβολῇ τινὶ τοῦ θερμοῦ οἷον ζέσει, ex vicinitate orbium cœleſtium: & niſi acceſſiſſet calor opifex, nec cum humore terra res naturales reliquas comparaſſet, nec corpus easdem animaſſet. At huic diſtinctioni ut confuſiori & latiori, antepono Platonicam aliam, quâ tres unicuiq; elementorum aſſignantur qualitates, ſecundum quas ſibi invicem contrariantur. Ignis acuitas adverſatur terræ obſcuritati, ignis raritas terræ denſitati opponitur, ignis motus contradicit terræ quieti. Sed quid de aere & aqua? ſciendum quod communitas quædam ſit harum qualitatum inter quatuor elementa, quas mutuò inter ſe communicant, non ſimplici ratione communionis, ſed modo neceſſariæ conceſſionis. En nucleum: aer quatenus rarus eſt, & quatenus movetur, ab igne hoc habet: quatenus

obſcu-


obſcurus, à terra hoc deſumpſit: aqua quatenus obſcura & denſa, eatenus terræ hoc refert: quatenus mobilis, ab igne mobilis eſt. Ita aer duas partes ignis, & unam terræ: aqua duas partes terræ, & unam ignis continet. An contrarietas inter hæc quoque detur non dubitandum, & quidem definitarum qualitatum. Nec exiſtimandum, quod propter dictam communicationem, quâ elementum elemento qualitatem (quarum tres unicuiq; inſunt, & duobus propriè, duobus verò impropriè conveniunt) largitur, fiat abſoluta ſimilitudo & convenientia eorundem, ſecundum rithmum dictarum qualitatum: hoc enim impoſſibile eſt, & non obſcurè in puris elementis deprehendi, atque in metallica operatione demonſtrari poteſt. Exactioris intellectus gratiâ, hanc ſcalam diſcrepantiæ, qua inter ſe diſſident, adjicio. (a)

Habes ergo radicem, habes funda-

men-

(a) pag

	Rarus		*duplo*
nis	*Mobilis*	*Aër*	*triplo*
	ſplendidus		*quadruplo*
	rarus		*duplo*
ër	*mobilis*	*Ignis*	*triplo*
	ſplendidus		*quadruplo*
	rara		*duplo*
qua	*mobilis*	*Aër*	*triplo*
	acuta		*quadruplo*
	Rarus		*duplo*
ër	*mobilis*	*Aqua*	*triplo*
	ſplendidus		*quadrupl*
	rara		*duplo*
erra	*mobilis*	*Aqua*	*triplo*
	acuta		*quadruplo*
	rara		*duplo*
qua	*mobilis*	*Terra*	*triplo*
	ſplendida		*quadrup*



(a) pag. 26.

	Rarus		*duplo*	*denſior*
nis	*Mobilis*	*Aër*	*triplo*	*quietior*
	ſplendidus		*quadruplo*	*obſcurior.* 1.

	rarus		*duplo*	*rarior*
ër	*mobilis*	*Ignis*	*triplo*	*mobilior*
	ſplendidus		*quadruplo*	*acutior.*


	rara		*duplo*	*rarior*
qua	*mobilis*	*Aër*	*triplo*	*mobilior*
	acuta		*quadruplo*	*acutior.*

1	6
2	5
3	4
4	3
5	2
6	1

	Rarus		*duplo*	*denſior*
ër	*mobilis*	*Aqua*	*triplo*	*quietior* 12
	ſplendidus		*quadruplo*	*obſcurior*

	rara		*duplo*	*rarior*
erra	*mobilis*	*Aqua*	*triplo*	*mobilior* 7
	acuta		*quadruplo*	*ſplendidior*

	rara		*duplo*	*denſior*
qua	*mobilis*	*Terra*	*triplo*	*quietior*
	ſplendida		*quadruplo*	*obſcurior*



mentum, corporis, naturæ, virtutum, & admirandarum operationum. Dicendas esse has elementorum qualitates, harum mixtiones, gradus mixtionum, mensuras ex his virtutum, nullus sanus inficiabitur. Per hæc enim perficiunt homines, quæ admirantur, & stupenda videntur: hinc perfecti Philosophi & Medici nomen acquiritur. Et firmiter credendum, quod si quis ex his radicem hanc elementorum ignoraverit, hunc nihil, aut si aliquid, pessimã tamen, & si diis placet, bona, non ex arte, sed fortuitò & præter expectationem, efficere posse.

CAPUT VI.

DE MIXTIONE ELEMENTORUM, QUATENUS

corpus constituunt: de canonibus in consideratione elementorum necessariò observandis: & quædam de formâ individuali.

DE elementis dictum est, quod sin-

ſine horum accuratâ ſingulariq́; perceptione & ſagaci indagatione, nihil perfecti in Philoſopho & Medico reperiatur: ac nequaquam aliquid laude dignum in effectis acquiritur ab eo, cui latet myſticum in his. Hæc enim conſtituunt corpora, non confuſa συγχύσει, aut coagmentata & coacervata συνθέσει: ſed propria, vera, & ſymbolica μίξει, complicata inter ſe & ſe, atq; coacta ὅλα δι' ὅλων. Molleſcunt ergo, depoſitaq́; excellentia proprietatum ſe mutuò complectuntur, mutuâ ſuarum qualitatum refractione & contuſione: ac cœli ſtellarumq́; viribus, velut retuſa, fracta & ſubacta, ac velut coacta & glutine quodam coagmentata coaleſcunt: tum calore ſymmetro, qui cœleſti ἀνάλογος eſt, tum ſtellis ipſis, hanc copulationem τῶν ἐσιωδῶν partium in elementis, gubernantibus & commaritantibus: Partibus inter ſe, quatenus totum vel fieri totum, maritatis & copulatis, quæ ſua virtute conſiſtunt, ſpontaneè
cohæ-

cohærentes: mox ſimul etiam quæ iis inhęrent qualitates, ut pręcedentibus ſunt hebetatæ & exæquatæ motibus, ſic temperantur ac ſociantur ſymmetria conveniente, materiæq́; colligantur & cohæreſcunt. Hæc harmonia & qualitatum inter ſe mixtio & commoderatio, nec non coalitus cum materia (quæ omnia ad certam formam diriguntur) generant in ſe & fovent formam ſpecificam & eſſentialem, quæ tanquam ἐσιώδης σύνδεσμος, divinus, abditus ſenſibus, νοητός, tum nectit, glutinat ac continet temperatas inter ſe & coaptatas materiæ qualitates, tum ceu ultimo ornatu accommodato, expolit, conformat, & abſolvit mixtum: quam qui perſpicit, exactè naturas ipſas actionum, & virium mirandarum fontes, pænè ſtupendas conſenſiones & diſſenſiones rerum inter ſe intelligit. Ad horum omnium inveſtigationem oportet benè intelligere præfatam radicem elementorum, juxta proportio-

portionalem dimensionem qualita-
tum. In quolibet enim elemento
consistit triplicitas, per quaternari-
um desinens, in æqualitate partium
duodecim: per septenarium deinde
in denarium progrediendo, ascen-
dendum est ad supremam unitatem
undè omnis virtus & mirabilis ope-
ratio dependet. Hîc Philosophe Me-
dice observa & venare elementa se-
cundum suos ordines, in quibus posi-
ta sunt. I. Ordo primus continet ele-
menta simplicissima & purissima, non
corruptibilia, non mutabilia, non
commissibilia, non transmutabilia
non resolubilia: & hæc non produ-
cunt effectus, sed per hæc & non per
aliud medium rerum naturalium vir-
tutes effectuantur. Habes intelle-
ctum, procede per scalam, venies ad
unitatem, invenies formam abstru-
sam, abstractam, formam simplicissi-
mam, essentialem, purissimam & in-
tellectualem: hic spiritus, hic ingeni-
genius requiritur, omne in arte unu
&

& unum quod omne: ab hoc uno, per hoc unum, in hoc uno, ad hoc unum, sunt omnia quæ existunt & fiunt. Explicari hæc forma divina non potest, nec horum elementorum virtus patebit, quia in omnia possunt omnia. Hæc qui non altè scrutatus fuerit, planè nihil divinæ admirationis operabitur. II. Secundus ordo continet elementa composita, multiplicia, varia, impura, sed mysticâ arte purificabilia: horum virtus solâ purificatione, & in simplicitatem formæ reductione, omnem substantiam, & partes universas complet & perficit, omnes operationes occultas, & omnes operationes naturales causat. His naturaliter operaberis, & hoc fundamento mystica physica produces. En habes primas formas, quatenus naturam contemplatus es, ex radice elementorum. III. Tertius ordo habet ea, quæ ut sunt aliquid in suo subsistere, elementa per se & primariò non sunt, sed primordiali origine decom-

posita, descendentia varia, multiplicia, inter se invicem permutabilia. Habes infallibile medium: atq; hæc scala proposita tibi harum proprietatum mediam demonstrabit naturam, seu formam mediæ naturæ, ad virtutes priores duas cujuslibet elementi, quam inter se communicant. Nec vellem nuda consideratione hæc quis transeat. Continent enim profundissima mysteria, & occultas rerum conjugationes: in his consumatio omnis effectus, in quacunq; re naturali, cœlesti & supercœlesti: at per certos numeros, gradus & ordines admiranda sunt, & plena mysteriis, quæ operando inchoantur & finiuntur dictâ hac methodo, in Philosophia tam naturali quam divina. Recordare hic, quisquis operationem tentas, quæ de triplici fundamento priscæ Philosophiæ in præcedentibus dicta sunt, & habes intellectum eorum quæ dicuntur, physicum nempe mathematicũ & theologicum, naturæ arcana, dimen-

mensiones formarum, & intelligentiarum celsitudinem. Per hæc quæ in tertio ordine dicta sunt, res ligabis & ligationes intelliges, solves & transmutabis, passionesq; omnes coaptabis ad invicem: cognosces quæ ventura sunt in morbis, & aliàs, & prædices tàm bona quàm mala, fugabis malos dæmones & omne incantamentum, & conciliatio & amicitia desuper ad te mittetur. Quid igitur impurorum in pura, multiplicium in simplicia reductio poterit: quid eorundem naturæ, virtutis, potestatis secundum numerum, gradus & ordinem, sine divisione substantiæ, scientia efficiet, experietur is, qui omnes naturales res, & cœlestia secreta ad actum deducet. Quippè sine dictis triplicibus elementis, eorundemquè cognitione, nemo confidat, se quicquam in prisca Philosophia, & scientiis naturæ operaturum.

CAPUT VII.

DE ELEMENTORUM INTER SE HOSTILITATE,

& confœderatione: de veneratione, acceptioneq́ elementi calidiſſimi, & leviſſimi ſimpliciter apud veteres: atq́ de hujus myſticâ apud Philoſophos conſideratione.

EMpedocles nominat amicitias & inimicitias elementorum contentiones, vel occultas & potentiales: vel apertas & actuales: easque conſpicuas eſſe indicat. Hoc autem diſſidium, quod per actum ſecundum in ſenſus incurrit, ratione qualitatum primarum accidit. Sunt hæ omnes naturâ ac per ſe ποιητικαὶ & παθητικαὶ: quo ad actionem mutuam inter ſe elementorum, quâ unum ex alio, & quodlibet ex qualibet, gignitur. Activæ ſunt per modum mixtionis, ad quam concurrunt, reſpectu dominii agendi: & hoc fine effectivo, audiuntur nomine calidi & frigidi. Ad ſubjecti

ecti vero & materiæ conditionem, consideratione relatæ, passibiles sunt, causâ remoti gradus qualitatum, in humido & sicco. Differentia harum ad gradum & virtutem, non solum in mixtis, sed in simplicibus & impermixtis deprehenditur. Siccissima enim est terra atq; frigidissima: aqua frigida & humida; & licet sensuali superet humiditate aerem, haud gradu & efficaciâ actuali. Aër calidus & humidus est calore, qui igne remissior & blandior deprehenditur. Ignis omnium calidissimus & siccissimus; eâdem, ut de aëris humiditate dictú est, ratione, siccior terra. Sed quomodo differant non solum his qualitatibus inter se elementa, sed etiam aliis insuper proprietatibus, ex præcedentibus patet. At pressius negotium percipiatur, videlicet de qualitatibus motivis secundum locum: ut levitate, qua sursum evolant: gravitate, qua deorsum labuntur ac subsident. Sic ex proprietatibus non ab-

ſolutis, ſed ad ſubjecta relatis; nec non modo quodam ſubſtantia, quæ primarum qualitatum dominium ſequitur; diſcrepant elementa. Hîc perpendendum, quod alia ſint διαφανῆ, perſpicua, pellucida, tenuia, rara, fluida. Sub his referuntur ignis, aer, aqua: at ſemper gradus & proportionem geometricam harum proprietatum inter ſe obſervare, & in memoriam revocare, operæ pretium eſt. Clarius dicam. Ignis perſpicuitate ſic levitate, tenuitate ac raritate ſuperat aerem ac aquam: aer rurſus aquam, quæ ſuâ naturâ quidem gravis eſt, perſpicuitate tamen, levitate ac raritate, aërem refert: ſicut ad terrenam gravitatem ac ſoliditatem accedit propterea, quod multo quam aer denſior atq; obſcurior, ac minus lumini ſive viſui pervia ac ponderoſior eſt. Terra prorſus ἀδίοπ]Θ· & maximè opaca, ponderoſiſſima omnium, denſiſſima, ſolidiſſima. Sed propter ſequentia animadvertendum, quod elementa ex

ſe &

ſe & propria facultate, non ſint diaphana & translucida. Non enim lucet ignis elementum, ut elementum in ſe, multoq; minus aer & aqua: ſed δυνάμει, quatenus lucem, pervia transmittunt. Reperiuntur quoq; ut impura corpora. Hujus propter accidentis gradus, non exiguum inter ſe quoq; fovent diſcrimen, in conſideratione totius, & partium, ſingulorum. De quolibet horum ordinatim diſſeremus. Quod ad ignem ſpectat, hujus ſumma fuit apud omnes gentes ratio & reverentia, ad cultum idolatricum usque, opinione conceptâ de inflammatis cœlitus victimis: ut de Abelis ſacrificio legitur in Geneſi. Exiſtimabant enim Deum ipſum flammea ſpecie ex alto delapſum, devoraſſe victimas. Hæc perſuaſio animis hominum inſederat radicitùs, propterea quod à patribus inde usque dimanarat eadem de inflammatione, ut dictum, ſententia. Putabant ergo numen quoddam flammis illis

condi tegiq;, & cum rapidissimo motu in sublime tenderet, abripi simul cum hoc ab aris victimas, transferriq; in cœlum. Atq; exinde credebant, quod in nulla sacrificiorum solennitate, clariora, certioraq; de numinis affectu testimonia conspiciantur, quàm in hâc. Singulari ideo & non quovis modo accenso igne ad sacrificia utebantur: sed eo tantum, quem ex fomite, à radiis solaribus incenso, propagatum, lignis appositis perpetuò in peculiaribus templis magnâ religione fovebant & conservabant: ita ut neq; extingui eum sinerent, neque aliò usurparent, nisi ad solas victimas, & ut pollutum expiarent. Inter cæteros, ignem ejusmodi Romani custodiebant, tanquam arcanum & cœlitus depositum, per virgines Vestales seu ἑστιάδας, in penetralibus sacris, & veluti sanctiore recessu templi Vestæ, cum Palladio & diis penatibus Trojâ advectis: quo nulli hominum, nisi Vestalibus & Pontifici ut

ἱερο-

ἱεροφάντῃ καὶ ἱεροφύλακι adire licebat. Ægyptii ex igne divinabant. In ſacrificiis ſi admota flamma victimas ſtatim corriperet, & diffuſa repente totas occuparet ac conſumeret: ſi tranquilla flamma, pura, perſpicua, & nitida, nullis infecta coloribus alienis, ut nigro rutilovè aut pallido, nec permixta vel ſordibus, vel caligine, fumisvè ſine ſtrepitu, & ſine egeſtione atq; ejaculatione favillarum, turbulentâ & crepitante, recto ductu, turbinatæ pyramidis inſtar attolleretur & inſurgeret: ſiq; non, niſi totâ victimâ depaſtâ atq; exuſtâ, moreretur, placide numen hoſtiam acceptare, complecti, annuereque quæ requirebantur, conjiciebant. Si contrà multo vix excitari poſſet flatu ignis, & cum exarſiſſet non coiret, non finderetur, atque in hiatum dehiſceret, nec in totam ſubitò ſpargeretur ac penetraret victimam: ſed viciniora ſenſim, velut ſerpens lamberet atque uſtularet: nec recto ductu niteretur

ſurſum, ſed in vertigines gyroſq; convoluta, atram ſecum & denſam eveheret caliginem, aut raperet deorſum, aut dilaberetur ad latera, aut aliena naſceretur ſpecie: & ſi à ventis diſploderetur, aut reſtingueretur pluviis, aut inſolitum crepitaret, & circumquaque multum eructaret ardentium favillarum: aut ſi palleret plus nimiò, vel nigricaret, aut evaneſceret ſpontè, priusquam tota conflagraſſet victima, aut ſi intactæ aliquæ partes remanerent, & integræ, læſi, irati, & infeſti numinis, & ſacrificium reſpuentis omen eſſe ſuſpicabantur. Eodem modo ex igne præſagia ſumebant Romani: illo videlicet, quem Veſtæ in vaſculis ſecluſum repoſitumquè in abditis penetralibus ſubitò, cum opus eſſet, alimento tuebantur & aſſervabant, eamquè curam & cuſtodiam per vices agebant omnes. Hic ignis, ſi quando extinctus foret, id inter maxima prodigia habitum, anxiâquè ſollicitudine expia-

tum

tum fuit: negotia cessabant, & intermittebantur, igne non procurato, & restaurato: aut diis non propitiatis, quasi dura aut tetra prodigia nunciata essent. At ea virgo, cujus incuriâ defecisset ignis, à Pontifice Maximo, in conclavi secreto, locoquè penitus abstruso & tenebroso, linteo velo obtento, flagris cædebatur: ignis reparabatur, vase æneo pellucido, trium angulorum, àd Solis jubar exposito, detentoq́; èo usque, donec radiorum repercussu vibratuq́; ac collectione, calore aucto aridus fomes ex adverso collocatus ignem inde conciperet. Hæc Ethnicorum ad reverentiam ignis sanctimonia, quam vix instituissent, nisi occultam quandam, quam in hoc elemento venati sunt, efficaciam, perspexissant, per Philosophiam arcanam, ob summum vigorem, tunc temporis tripudiantem. Quomodo idem elementum, at cum admiratione, operetur in Philosophia nostra, audiemus ex Hermete, qui-

duo elementa ad abſolutam operationem Philoſophiæ ſublimioris ſufficere aſſerit: ignem nempe & terram: illum ut agentem: hanc ut patientem: utrumque ſpecificè & ſimpliciter. Dionyſius de ignis arcanis & ſingularibus ita diſſerit. Ignis in omnibus & per omnia clarè evenit & removetur, lucet univerſaliter, & ſimul occultus & incognitus èſt, immenſus & inviſibilis, non acceſſu materiæ, in quâ proprietatum actiones exerit & manifeſtat: ſed ex ſe ut eſt ignis elementum, per ſe & in ſe potens ad actionem propriam ignis mobilis eſt, & per hoc ſeipſum quodammodo tradit omnibus, quæ approximant: renovativus, cuſtos naturæ: illuminans, incomprehenſibilis ſplendoribus, circumvelatis inſenſibilibus, quatenus incomprehenſus: clarus eſt, diſcretus, reſiliens, ſurſum ferens, acutè means: excelſus: non minoratur minoratione illius, cujus deceſſu minoratur: ſemper motus movens,

vens, aliud comprehendens, ipſe incomprehenſibilis: nullius indigens alterius: creſcens à ſe ipſo latenter: ſuam manifeſtans amplitudinem & augmentum ad materias ſuſceptas: activus, potens, omnibus ſimul præſens, inviſibilis: non vult negligi à materiis arreptis: neglectus generaliter & propriè, ſubitò reducit in rationem ad aliquid certum ſub ſpecie vindictæ debitæ; nec comprehenditur, nec palpatur, non minuitur: ſuiſmet legibus & traditionibus inviolabilibus ditiſſimus & potentiſſimus in omnibus. Ignem Plinius vocat immenſam & improbam naturæ portionem: & dicit poſſe dubitari, an plura abſumat, an pariat. Ignem unum eſſe & omnia penetrare ajunt Pythagorici, & hunc in cœlum delatum colluſtrare, in inferno coarctatum & tenebroſum cruciare, inter cœlum & infernum tanquam in meditullio de utroq; participare. Conſentit & Cleanthes apud Ciceronem, qui ignem

in ſe unum, receptum, in recipiente multiplicẽ, & diverſo ſigno in diverſis diſtributum eſſe, pronunciat.

CAPUT VIII.

DE COMPREHENSIONE IGNIS IN INTELLEctualibus, cœleſtibus, & elementaribus.

AD ignem myſticum, ſimpliciſſimi, perfectiſſimi, puriſſimi & infiniti intellectus ac ſapientiæ, ſuperantis omnia, ſcientis omnia, & determinantis liberâ voluntate ſingula, declarandum, non datur ſufficientia humanæ mentis: & ſi quis temeritate adductus, confidat dari perſcrutationem illius, quod omnia capit & à nullo capitur, is opprimetur à majeſtate & conſumetur â flamma cœleſti. Quantum autem de illo igne ſcire Chriſtiano conveniat, inter multa alia deſumi poteſt ex eo, quod flamma & ſplendor æternus omnia illuſtrans de ſe dicit: *Ego ſum lux mundi,*

li, ego verus ignis & pater luminum, a quo omne datum optimum venit. Hujus ignis tremendam majeſtatem colliges ex Prophetis, & præſertim ex Ezechiele, cui hæc mens flammea, & hic ignis vivificans, illuſtrans, & propter hominum impiam vitam quaſi accenſus, comburens omnia, per vices apparuit. Hic ignis ſplendorem ſuum emittit, communicatque cœleſtibus, & primò ſoli ac cæteris corporibus, quæ per media tanquam inſtrumenta in hunc noſtrum ignem influunt. Supernus hic ignis eſt & non ſupremus, ſed à ſupremo: propria habens, calorem omnia fundantem, & lucem omnibus vitam tribuentem. Hic ignis cœleſtis & lucidus fugat tenebroſos dæmones. Infernus ignis qui à cœleſti fovetur, regitur & augetur in virtute, & in ipſo eſſe, invenitur in lapidibus, ut ex ictu chalybis patet. Eſt ignis in terra, ut ex fumatione conſtat, ſi foditur: eſt in aquis, quia fontes & puteos

cale-

calefacit: eſt in mari profundo, quod ventis agitatum tepeſcit: eſt in aere, quem ſæpè inflammari & efferveſcere videmus: eſt in animalibus & in viventibus, nec non in vegetalibus omnibus, ſiquidem calore nutriuntur. Summatim, omne quod vivit, propter incluſum ignem vivit. Hîc controverſia oritur de calore in elementis, ſive ſit à motu cœli, ſive ab emiſſi radii reflexu, unde & ſplendor luminis. Quæſtiones tales ſunt: utrum hic calor per ſe elementis inſit? an verò à cœleſti, non à myſtico lumine accendatur? Si radius nec illuminat, nec calefacit, niſi ex reflexo lumine, & viribus auctus: (ut ex Opticorum demonſtratione clarum eſt) quomodo utrumque lumen & calor in elementis ſupremis inflammetur, à quibus propter tenuitatem ac raritatem ſubſtantiæ perviæ, reſultus nullus, nec replicatio radii fieri poteſt? At harum deciſio requirit aliam ſcholam, ubi de nuda contempla-

tione

tione physica sine effectuum fine pra-
ctico sermo habetur. Nos hîc de ele-
mentis loquimur, ut inserviunt Phi-
losopho & Medico agenti, non spe-
culanti solùm, sed artifici. Nec pla-
nè alienus sum ab illorum sententia,
qui lumen & calorem in inferioribus
à cœlesti luce proficisci statuunt, ut
ex dictis patet. Disputatum igitur
fuit de igne superno & inferno. Di-
cendum est, quæ causa, quod veteres,
primi religionum & cæremoniarum
sapientissimi & sanctissimi instituto-
res, orationes, psalmodias, & sacra
non nisi accensis luminibus fieri stri-
ctè & severè præceperint: qui mos
ad hæc usq; tempora durat in nostris
templis, quando videlicet faces &
candelæ ad solennium & cæremoni-
arum celebrationem accenduntur.
Mos hîc originis suæ fundamentum
habet ex sequenti veterum opinione.
Sicut enim tenebrarum dæmones, li-
bentius in ipsis tenebris versantur,
unde quoq; corroborari & robustio-
res

res fieri, prisci Philosophi conjicie-
bant: sic bonos dæmones, qui sunt an-
geli lucis, incrementa suscipere à lu-
ce, non solum divinâ, solari & cœle-
sti, sed etiam ab eo, qui apud nos est
igne, statuebant. Propterea omnia sa-
cra incensis facibus peragebant, &
hinc Pythagoricorum symbolum na-
tum est: *Ne loquare de DEO absq; lu-
mine.* Accenderunt etiam ad fugan-
dos malos dæmones lumina, & ignes
apud cadavera mortuorum, qui non
amovebantur exstinguebanturque,
quousq; perfectis sacro ritu expiatio-
nibus, terra conderentur. Hic mos
Ethnicorum in quibusdam locis
Christianorum hac quoq; tempesta-
te observatur: ut scilicet accensæ can-
delę ex cera, mortuis apponantur, nec
nisi cadavere humato, auferantur.
Præterea Deus, qui solus castus & pu-
rus, veteri lege, omnia sua sacrificia
igne offerri, atq; ut in altari semper i-
gnis arderet, pręcipiebat: quem etiam
diis suis apud Romanos Vestæ (de
qui-

quibus in præcedente capite) perpetuum servabant ac custodiebaut. Et hæc de igne, quantum ad propositum.

CAPUT IX.

DE ELEMENTI ABSOLUTE GRAVISSIMI, ET *in duplo, triplo, quadruplo, densi & immobilis, proprietatibus.*

ELementum terra, prima nostræ creationis materia, à Deo primò cum cœlo creata, maxima continet secreta, maximas divitias, maximo labore & sudore eruendas: non simplici & vulgari modo, sed per artificium alterius elementi, quod secundum qualitates elementares & opponitur, & non opponitur terræ. Audi purgationem per ignem, & ad simplicitatem suam congrua lotione redactam. Ex terra creati sumus, ex terra conservamur, in terra vivimus, ex terra ægrotamus, per terram restauramur, & ex hac nostræ conserva-

tionis

tionis, & restaurationis, verissimam medicinam petimus. Constat enim ex ordine creationis, quod præparatis atque absolutis admiranda varietate primis & simplicibus elementis omnium corporum, tandem reliqua inde comparaverit & finxerit corpora altissimus: ut cœlum, quod primũ creatum stellis exornavit, conflatis ex lucida cœli materiâ infinito numero & varietate: terram, quæ post cœlum (at uno die) creata, plantis vestivit, & complevit animantibus, aquas piscibus, aerem volatilibus dotavit. Conjunxit quoq; cum elementaribus cœlestia, tali sympathiâ & consensione, ut cœli lumine, elementaria efficerẽtur, vivificarentur, vegetarentur, incitarentur ad ordinatos ac velut ad numeros compositos motus, & plane absolverentur. Omnium ergo elementorum basis & fundamentum terra est: ipsa est objectum, subjectum & receptaculum omnium radiorum influxuumq́ue cœlestium: & terra a-

perſis, atque infuſis aquis in unum
onglobata, mediam tenet mundi ſe-
em atq; infimam, in quam feruntur
uncta: infra hanc nihil, quo ſubja-
et, objacet, & recipit, ſphæricâ &
entricâ figurâ ritè conſideratâ, &
abitâ, circumferentiæ circumcirca
undo collimantis, per omnes di-
nenſiones, inſpectione. In terram
œleſtium corporum radii rectiſſimo
rocidunt lapſu, & quicquid diutius
ēr ſuſtinere nequit, ſuopte impulſu
elabens, vel procumbit in terræ con-
exum, vel ipſe ſe inſinuat. Vaporum
ſa eſt halituumq́; velut penu ac nu-
icula. Solis enim cæterorumq́; ſo-
is ſucta, & mulſa radiis, aut humo-
es ex aere demiſſos accipiens & com-
ibens, aut ſibi inſitos aut infuſos ex-
inſecus fovens & extenuans, in ha-
tus aſſiduâ viciſſitudine, remittit.
ontinet terra omnium rerum ſemi-
a, ſeminalesq́ue virtutes: unde ani-
alis, vegetalis, & mineralis dicitur.
quidem ab omnibus elementis ac
orbi-

orbibus fœcundata, omnium ex se ipsa est gignitiva: ipsa est omnium fœcunditatum receptiva, & veluti prima parens, etiam omnium pullulativa, centrum, fundamentum, & mater omnium. Præpara hanc, & tolle de illa quantum placet, secerne, lava, depura & subtilia: dimitte aliquando sub dio, fœcundabitur cœlestibus viribus, & prægnans efficietur, producet plantas, parturiet vermiculos & animalia, lapillos generabit, lucidasq; metallorum scintillas & imagines repræsentabit. De aliis miraculis, & prodigiosis motibus terræ, dequè mysticâ analogiâ ejusdem, omnium inter se, & cum humano corpore, item de thesauris, quos in fodinis & fornicibus continet, alibi: hæc jam sufficiant.

CAPUT X.

DE ELEMENTI HVMIDISSIMI MINVS ABSOutè, facultatum diductione: de aquæ apud antiquos applicatione: & de hujus singularibus virtutibus.

TErra præter res ex se natas, quibus partim victîtamus, etiam auam & aerem qualitatibus imbuit: uod ex præfatis abūdè colligi potest. Quippe in aerem singulis momentis lurimum terra egerit atque effundit alituum: quos calore syderum, & bi incluso, fota, emittit. Propter a aer & aqua, ultimò consideranta veniunt, primò (ut videre est) gnem & terram, propter conspiraonem supra deorsum, & infra surum indissolubilem, describentes. At e aquæ miraculis in hoc capite, cum on sit minoris potentiæ, quam præicta duo, & in hâc non cessat natu- facere mirabilia. Hujus ergo maima est necessitas, sine hâc nullum ani-

annimal vivere, nulla herba, nec quæ-vis planta citra aquæ humectationem & refocillationem progerminare & excrescere potest. Inspicientes primum humanum genus, inveniemus quod præcipua portio nutrimenti solidioris sit aqua. Diæta enim & victus ratio, quæ cibo constat & potu, in quorum utroq; multum pollet aqua, si consideratur, habemus, quod maximam utilitatem habeat aquæ examen, quæ & qualis sit inquirendo. Hâc enim coquuntur alimenta, quibus vescimur: hâc vestimenta, quibus corpora vestiuntur, purgantur, & eluuntur. Et quanquam inter coquendum rerum impositarum quodammodo qualitatem concipiat, & corrumpatur, tamen suas virtutes non prorsus exuit: imò vicissim iis rebus quas fervefacta coquit, infigit: duras crudas penetrat, subigit, attenuat & digerit, donec superfluo humido exhausto, ac crassioribus terreis partibus comminutis & emollitis, utrasque

iunctas & temperatas, in ſicciorem, multò ſed tenuiorem,atq; exactiùs elaboratam,redigat ſubſtantiam. Quapropter, cum ipſo ſimul alimento vertitur in ſpiritus,humores & membrorum eſſentiam. Experimur hoc ipſum in probatione variarum reru͂, cum aqua miſtarum, ab aqua prodeuntium & originem ſumentium.Retinent enim aquæ fontium, ſuæ ſcaturiginis naturam, unde emanant. Hanc ſi quis magis philoſophicè & accuratius inquiret, admirabitur has petitas, ab aliis fontium & ſcaturiginum potentiis, qualitates: ut in civitatibus,ubi ſal coquitur,res plana eſt. &c. Contrahunt enim puteorum aquæ, terrarum & mineralium in hujus occultos meatus,& ſecluſas cameras, contentorum qualitates. Per dictas enim vias, derivantur & ceu colantur in puteos, & humiliores ac profundiores hiatus confluentes, ac conſidentes aquæ. Et ſi hæc res non peculiarem exquireret librum, de

thermis & acidulis hoc thema perspicuè declarantibus, exquisitè dicendum esset, tanquam de iis quæ naturæ miracula, in elementis omnibus, declarant. At hæc pro tempore & moribus sequentur. Flumina igitur variant aliàs atq; alias, subinde ex terræ, per quam fluunt, contactu & alluvio, dissolutarum partium admixtu, qualitates acquirentes. Illa quæ terra gignit, prorsus naturam aquæ, quâ irrigatur, induunt: quippe tali refectæ auctæq; alimento radices vegetabilium, quod ex circumsitâ terrâ surgunt, adolescunt, & maturantur. Manifestum igitur est, quod exploraturo hominum ingenia aut mores, aut naturas corporũ, quales illæ sint, quibus obnoxiæ morbis, perscrutaturo, non abs re sit, imò multum contulerit, accuratè qualitates horum elementorum & eorundem miraculorum varietatem investigare. Sic in terra (quamvis de hac in præcedentibus dictum) examinandâ, videndum

dum eſt, an pinguis ſit, an macra, an mediocris, an lapidoſa. Si pinguis, an argilloſa, aut glareoſa, aut ulliginoſa, aut limoſa, aut cretoſa, an nigricet, vel rubeat: vel niteat, vel flavedinem præ ſe ferat, aut virorem. Si macra, an arenoſa, aut purulenta, aut ſabuloſa, aut cinericia. Si lapidoſa, an marmorea, an ſilicea, an ſit gravis, vel levis, an ſubſint metallorum venæ, vel ſulphuris, vel nitri, vel ſalis, aluminis, bituminis, margæ, vitrioli, ferri, auri: ut de fonte (qui ante annum in Miſnia propè oppidum Zvvenitz, repertus eſt, & multa præſtitit, ſed juſto citius, corruptus incolarum infandâ avaritiâ, deſiit) illi qui hujus aquam deſtillationibus examinarunt (cujus & ego pars fui) referre poſſunt. Denique qualitates ſenſiles expendendæ omnes, & occultæ, ſi adſunt, in terra. Plurimum enim ab his & hominum corpora & terrâ nata, quæ alimentum fiunt hominibus, aſſumunt. At hîc de aqua agitur, circa

quam itidem obſervandum, an craſſa vel tenuis ſit, an pura & limpida, vel alio infectâ colore, quam ſolito: aut fœculenta, aut ſordibus inquinata, inſipida, vel dulcis: an metallicum & mineræ referat ſaporem, ut nitroſum, aluminoſum, ſulphureum, vitriolatum, acidum, aſtringentem, bituminoſum, & ſalſum. Ex aquâ præterea cœlum conſtat, cujus materia eſt. Nam ex terrenæ molis, ab obſcurioribus & craſſioribus fæcibus expurgatæ & emundatæ, dilatatione ampliore, ſed vi omnipotente perfecta, aquam: ex hujus diductione atq; expanſione majore, aerem: ex aeris ſumma, extremaque attenuatione & perpolitione futuri cœli materiam produxit omnium rerum conditor Deus. Sacræ literæ quoq; affirmant, cœli materiam eſſe aqueam: quod appellatio, Schamaim, demonſtrat. In aqua (ut antea clarius dictum) eſt virtus ſeminaria omnium rerum, & primò animalium, quorum ſemen aqueum

queum esse manifestum est. Sed & fruticum & herbarum semina, licet dura & terrea sint, tabefieri & colliquescere tamen aquâ necesse est, si foecunda esse debeant: sive id fiat humore terræ imbibito, aut rore vel pluvia, vel de industria adjectâ aquâ, quod Moyses confirmans ait: solam aquam & terram producere animam viventem. Nec quis miretur, quod duplicem aquæ productionem tribuat, ut productionem natantium in aquis, & volantium in aere super terram. Et partem productionis terrenæ, aquæ, jure rationis tribui clarius innuit dicens: quod post creationem virgulta & plantæ non germinaverint, quia Deus non pluerat super terram. Cæterum infinitæ aquæ utilitates sunt, & usus multiplex, resquè omnes ex ejus potestate consistunt, ut quæ generandi, alendi, augmentandiq; vim possidet. Eaq; ratione eandem Thales Milesius & alii, omnium rerum principium statuerunt,

omniumq́; alimentorum antiquissimum esse dixerunt, ac potentissimum, siquidem cæteris omnibus imperat. Hujus imperii meminit Plinius, *l. 2. c. 5. & 103. l. 31. ab initio*, quando scribit: ab aqua terras devorari, flammas enecari, hanc scandere in sublime, & nubium obtentu sibi cœlum vindicare, eas denique decidentes, omnium terrâ nascentium causa fieri. Ad dignitatem & potestatem aquæ quidam facere dicunt, quod per hoc elementum fiat regeneratio spiritualis, ut Christus ad Nicodemum loquitur. Porrò hujus elementi vis maxima ab extispicibus observatur, in expiationibus & purificationibus, ut etiam de igne præfata declarant. Et fuit vetustis patribus consuetudo, ut ante tractationem sacrorum abluerent corpora, quam postea amplexi sunt Judæi, qui multum utuntur lotionibus. Ethnici secuti ritum patrum, aquis creberrimè usi sunt, non tantum ad abluendas cor-

porum

porum ſordes, ſed etiam ad expiationes ſcelerum, & expurgationem inquinamentorum, ſi quæ corpori contaminato libidinibus, cædibus, rapinis, aut aliis ſimilibus, adhæſiſſent. Quibusdam etiam ſola aſperſio aquæ inter februa fuit. Romæ olim ad portam Capenam, nunc Appiam dictam, aquâ quæ Mercurio ſacra fuit, alii alios aſpergebant: qua conſperſione abſtergi & deleri inuſta quaſi corporibus ſigna & ſtygmata, deformitates flagitiorum, ac præcipuè perjuria, opinabantur. Ejusmodi perfuſione ſeu ablutione Peleus Patroclum abſolvit, ut in monumentis hiſtoriarum habetur: & Acaſtus Peleum à cæde fratris Phoci, ſic Ægeus Medeam à cæde liberorum traditur expiaſſe: hoc quoq; ritu abſolutus eſt à cæde matris Clytemneſtræ Oreſtes, ut Pauſaniæ placet. Deinceps piaculũ & nefas ducebant eſſe veteres, ſi aliquid attrectaretur corpore non luſtrato, vel effuſione aquæ, ad uſus ſacros

religioſo ritu comparatæ, non conſecrato. Exemplum in Æneâ habetur qui

—— ter ſocios purâ circumluit undâ,
Spargens rore levi. ——

Et idem, ceu multa cæde pollutus, ad genitorem Anchiſen inquit:

Tu genitor, cape ſacra manu, patriosq; penates,
Me bello tanto digreſſũ, & cæde madentẽ,
Attrectare nefas: donec me flumine vivo
Abluero.

Devenit hic mos ad Turcas, quibus ritus luſtrandorum corporum ſacer habetur. Sic enim extergi luem peccatorum, & tolli labem omnem, perſuaſum habent, ex propagata à majoribus, & inveterata opinione. Lavantur itaque creberrimè: & templa ingreſſuri, priusquam pedem inferant, aquâ ſeſe, quæ in aditu vaſe amplo ad hos uſus aſſervatur, perluunt: ut vivum teſtimonium docet eorum, qui & captivi & in ſervitutem venditi fuerunt apud Turcas Chriſtiani. Ex dictis affabrè differentiam (ne di-

cam

cam ſimilitudinem) agnoſcere poſſumus, inter Pontificiorum religionem, & ethnicorum ſuperſtitionem, quamvis maxime conveniant. Quid enim à dictis gentium ceremoniis in luſtrandis corporibus diſcrepat Papiſtarum aqua luſtralis vel benedicta? cujus uſus magis vituperatur & condemnatur à ſanioribus, quam ille ethnicorum: propterea quod in uſu ſit, & ab eo populo approbetur, qui eccleſiæ titulum ſibi vindicat. Duplici autem utuntur ſuperſtitione Pontificii: ethnicâ & diabolicâ. Ethnica in illis falſa perſuaſio eſt ea, ut credant, quod corpora à ſordibus & labe peccatorum repurgata, ad ſacras præparet & placentes Deo actiones: quaſi per ritum hunc incantationibus non abſimilem, virtus talis & efficacia cum aqua ipſa injiciatur conſperſus. Diabolica opinio eſt, quando cum ritu conjurationum diabolorum, vel (ut ſanctius & ſublimius magorum pietate dicitur) ſpirituum,

in vitro, aquâ lustrali repleto, illorum, quorum sanitatem, vel fortunam scire cupiunt, corpora conspicienda præbent, mediantibus puero impolluto, vel gravidâ fœminâ: non quod diabolus castitate gaudeat, sed ut castos & minoris peccati pueros, laqueis suis implicet. Et hæc species magiæ est, & dicitur Gastromantia, ut bene referre possunt ii, qui hæc in Italia à monachis & sacrificulis viderunt peragi, plerumque ex improviso & cum summo terrore: non dubium, quin inviti & coacti, ut Christianum decet. Et breviter dicam: omnes actionum sacrarum in Pontificiorum templis, cellulis, & capellis, ceremoniæ fermè totaliter convenire videntur cum ceremoniis illorum qui conjurant dæmones. Atque ego statuo, causam, quod maxima pars magorum & incantatorum in monasteriis & collegiis inter monachos & Jesuitas inveniatur, non infimam esse ceremoniarum & adoratio-

rationum superfluam, histrionicam, & ne dicam diabolicam solennitatem: quam qui regulariter callent, facilimè deinceps & sine singulari studio & periculo, magicas actiones ceremoniales instituere sciunt. Hanc comparationem ex visu qui non intelligit, ut nec debet, si Christi discipulus esse appetit, is legat quæ de his à diversis authoribus scripta sunt, at citra Christianismi jacturam, diligenti habitâ discretionis ratione. Hæc est sanctitas, hæc pietas Nollistarum in cœnobiis, hæc idololatria, quam libidinum confusiones & homicidia, aliaq; scelera portentosa (ut Paulus loquitur) comitantur. Sed ad miracula aquæ. Titiam virginem Vestalem Romæ, cum precatione certâ, aquam cribro hausisse, anno Urbis 609. Plinius author est, qui cum Solino multisquè aliis historicis innumera aquarum miracula annotavit. Harum mirabilem virtutem, inter Poetas ille qui amori famulatur, de-

ſcribit. Hammon in Africa fluvius, inquit, cornua habet, id eſt, bipartitus eſt: ſole oriente & medium firmamenti occupante gelidus eſt, & ſummè frigidus, at eodem occidente calefcit, poſtmodum in glaciem vertitur. Unda Athamas, admotum lignum accendit, luna decreſcente vel deliteſcente. Flumen præterea eſt apud Ciconas, quod qui bibunt, ſaxea recipiunt viſcera, vel toti cum cæteris quas tangunt rebus, lapideſcunt, & in marmor vertuntur. Crathis amnis confinis & Sybariæ fluvius, ſimiles facit auro capillos. Eſt etiam, inquit Poeta, fons Salmacis in Caria, beneficio Mercurii & Veneris factus, qui contactu ſuo liquores cogit in mollitiem corporis obſcœni. In Æthiopia aqua habetur, quam qui hauſit ad ſitim reſtinguendam, ad furorem, & ſoporem gravem ac mirandam adigitur. Fons Clitorius in Arcadia, bibentibus vini nauſeam parit, ac eos abſtemios efficit, ac ad aquæ potum

tum avidissimos: cujus causam in Melampum Amythaonis filium rejiciunt, qui cum Prœtidas ab insaniis liberasset novissimo remedio, idem in fontem projecit. Amnis Lyncæstius in Thracia, quamvis parum, labiis vel gutture attractus, bibentes ebrios efficit, potestate mutatâ, ac si mera bibissent vina. In Arcadia lacus est, ab antiquis dictus Pheneus, ab urbe Peneo, prope quam situs est, qui ambiguas vehit aquas: quæ, si nocte bibuntur, nocent, in die verò haustæ, prosunt, & sine noxâ sentiuntur. Admirabilis naturæ flumen quoddam notat Josephus inter Arceam & Raphaneam Syriæ urbes, quod cum pleno deferatur alveo per integrum Sabbathum, mox ceu obturatis canalibus & fontibus deficiens, per sex integros dies, siccum alvei sui præbet transitum, rursumque septimo die, ignotis naturæ causis, ad priorem redit aquarum abundantiam: quamobrem incolæ illud Sabbathæum nomi-

narunt, ob ſacrum Judæis ſeptimum diem. Porrò inter miracula aquæ, meritò refertur piſcina illa, cujus in ſacris fit mentio: in quam poſt commotam ab Angelo aquam, qui prior in illam deſcendiſſet, à quacunq; ægritudine liberabatur. Eandem vim, atq; poteſtatem fuiſſe legimus fonti Ionidum Nympharum, qui in Eliorum agro, apud Heraclæam pagum, juxta Cytheron fluvium, extabat, in quem qui ægrotum corpus injeciſſet, abluto omni corporis vitio, ſanus & integer inde exivit. Pauſanias author eſt, eſſe in Lycæo Arcadiæ monte, fontem, qui Agriæ vocabatur, ad quem quoties regionis ſiccitas frugum interitum minaretur, ingreſſus Jovis Lycæi ſacerdos, poſt immolatas hoſtias, ſacris precibus ſacros veneratus latices, quercus ramum manu tenens ad ſacrati fontis ſummos latices demittebat, tunc commotis aquis vapor exinde in aera ſurſum latus in nubes conflabatur, concurrentibusquè

nebu-

nebulis, cœlum omne obducebatur nubibus, quibus paulò post in pluvium resolutis omnem regionem salubriter irrigabant. Qui plura de aquæ miraculis scire avet, inter cæteros legat Rufum Ephesium medicum, qui admiranda & à nullo alio authore descripta, tradit. Possent & illa quæ observata sunt nostro hoc ævo in fluviis & fontibus, mirabilia & singularia, hîc recenseri: ut est fluvius in Hassiâ, in itinere ad acidulas VValdeccensis comitatus à me visus: quem auri terram, vel arenam vehere dixerunt mihi illius provinciæ proceres, & cognoscitur separatione per cribrum factâ artificiosa: hujusque rei veritatem confirmant aurifodinæ, quæ illibi, huic fluvio proximæ sunt. Sic memini rivulum circa vineas Francofurti illustris ad Oderam, quem fontem Poetarum nominabant studiosi, & ab Abelo Eq. aurato versibus descriptus extat. Hic ligna illapsa, & per aliquot dies contenta, in

lapi-

lapidem quasi convertebat, corticem post corticem durum ligno induendo, & tandem idipsum in formam lapidis rari & friabilis transmutando. Interiit hic Poetarum fons incuriâ, quem adeò vulgarem non putarim propter usum medicum, qui talibus aquis inest: & ad radicem examinatus manifestatur, per mineralia & metallica fermenta. At sæpè hominibus bona & salutaria dantur, quæ propter summam negligentiam & ignorantiam contemnuntur, ac vana esse, utilitateq; carere præposterè judicantur, donec contrarium edoceat fructus, casu manifestatus, nullâ præhabitâ naturæ (quæ tamen Christianum hominem imò & Philosophum decet) investigatione. Huc referuntur mirabilia fontium, & balneorum, quæ corporibus ægris sanitatem restituunt, sub quorum classe comprehenduntur acidulæ & thermæ. De quibus aliunde judicium.

CAPUT XI.

DE ELEMENTI HUMIDISSIMAE ACTIONIS, & in duplo frigidioris ad aliud elemenmentum, naturâ & efficaciâ peculiari.

NIhil in hoc capite de astris, eorumq́ue effectibus, & effectis: nec in universum de meteoris aereis, & aliis Physicis passionibus, communiter in scholis Physicorum tritis, proponam: verùm, de aëre tantum, & hujus peculiaribus facultatibus atque beneficiis, ut elementi facultates sunt, per practicum intellectum ad inferiora relatæ, sermo erit medicus & Physicus. Aerem ergo Hæbrei inter elementa non numerant, sed hunc veluti medium glutinum, & vinculum, diversa insimul conjungens, & tanquam spiritum organi mundani roboantem, habens, interpretati sunt. At hoc opinione magis, quam demonstratione, si aer in se, & ad aliud con-

consideratur. Fundamentum autem hujus sententiæ Judaicæ, desumi potest, ex eorum axiomate, qui aerem spiritum vitalem, cuncta permeantem entia, omnibus vitam & consistentiam præbentem, diverso modo ligantem, inferiora cum inferioribus & superioribus, moventem & implentem omnia, dixerunt. Neq; inconvenientes hæ sunt aeris proprietates, revera enim per hunc vita, cum hoc omnia, apud hunc omnia, per hunc convenientia & matrimonia omnium, per hunc impressio in omnibus, omnis, atq; secundum hunc affectiones naturalium diversæ. Quædam ex dictis etiam plebi nota sunt. Quis enim est, qui non asseverat, aërem esse necessarium animali viventi, & præsertim homini? quo carere, dum spirant mortales, nequeunt: hic subito & inevitabili motu raptus atque absorptus, in præcipua corporis membra fertur, eaq; suis imbuit qualitatibus. Diversus hic est secundum

diver-

diversas naturas, & regionum dispositiones, temporumq; anni, & quæ in distincta anni tempora incidunt, juxta menstruas, diurnas, & penè horarias vicissitudines. Harum vero causa inter alias plures, hæc non est infima, quam suppono: siquidem eorum omnium, quæ è terra aquisq; evaporant, exhalant, aspirant, sursumquè perferuntur, receptaculum est aer, qui terram & aquas ambitu suo complectitur. Tractus enim altiores fervent, in quos aridiores calidioresquè perferuntur halitus, frigent humiliores, ubi crassiores resistunt, & inferiores. Utrosq; immutatos, calore aut frigore, aut sole stellisvè discussos moxq; dissolutos, terra rursus accipit, alternâ vicissitudine ad hunc modũ altrò citroque nunc exsorbens illos, nunc contrà expirans atq; evomens. Constabitq; hæc regerendi admittendiq; alternatio tam diu, quamdiu cœli circumactu, stellarum circa terram volutabuntur corpora. Ex hac

terrarum diſparili aſpiratione, Mete-
ororum origo, quorum ob materiam
locum, & efficientem cauſam, forma
ſunt diverſæ. At hæc prætereo: &, ut
dictum, aerem quovis ſorbemus mo-
mento, qui à partibus per partes ſuſci-
pitur, & in totum corporis habitum
tranſit, hoc proceſſu. Ubi è veſtigio
attractus eſt aer, ſubitò fertur in to-
tum corpus: pars ejus, & quidem le-
vior in cerebrum evolat, & animali
permiſcetur ſpiritui: pars à pulmo-
ne hauritur, quæ (ſed præparata &
purificata) in cordis ſiniſtrum thala-
mum derivatur, jungenda ſpiritui vi-
tali: pars deglutitione qualibet abri-
pitur in ventriculum, unde in epar
fertur, ex epate in venas diſtribuitur.
Ex quo fieri nequit, ut non imbuat
ſuis qualitatibus ſpiritus tenuiſſimos
& ad transmutationem facilimos
humoresq; ob mollitiem alterationi
obnoxios, plurimum & continuo al-
liſu inhæreſcendo, ipſis etiam ſolidi-
oribus partibus aliquid naturæ ſuæ
im-

imprimat. Hæc breviter de aere, quantum ad Medicum. Aer Philoſophum admirabilem facit, Philoſophum res naturales profundiùs & ſecretiùs tractantem. Varia enim & magna in ipſa aeris naturâ fundata ſunt mirabilia, quæ ab omnibus non agnoſcuntur, & à quibusdam quodammodo deſcribuntur, atq; ab aliis ſubtilioribus & ſummæ admirationis Philoſophis intellecta ſunt, rationibus ex Matheſi & Opticâ, præhabitis: ex quibus hîc pauca referam. Quemadmodum aer, proximè cœleſtium omnium influxus in ſe concipit, & hos cum aliis, tum elementis, tum mixtis communicat, non minus etiam ſuſcipit in ſe & retinet; 1. rerum omnium & naturalium & artificialium ſpecies, 2. atque ſermonum quorumcunque, format veluti deificum quoddam ſpeculum. Has dictas rerum Ideas, ſecum fert aer, & quia corpora hominum & animalium per poros ingreditur, ſimul tàm in ſomno, quàm in vigiliis;

cor-

corporibus imprimit materiam (meo judicio non omnibus æqualem, sed huic perfectam, alteri mancam, & imperfectam, secundum corporis individualis dispositionem, & subtiliorum & sublimiorum inquisitionem: quæ omnia in hominem Philosophicum, naturâ & exercitatione ingeniosorem, & sagaciorem benè cadere posse arbitror) variorum miraculorum, somniorum, præsagiorum & auspiciorum. Quæstione res patet: Quæ causa, quod transientes locum in quo homo occisus fuit, & cadaver vel recens vel dudum absconditum jacet, timore atque pavore corripiantur? & cur iidem, licet hujus facti inscii, ex ejusmodi terrore præter causam ullam externam adveniente, homicidii peracti speciem, & cadaveris sepulturam à nemine unquam admoniti, divinare possint? Ad hoc duplex quæsitum responsum non adeò facile invenitur: & scio maximam partem respondentium hoc tanquam somn-

ſomnium ad imaginativæ excellentiam referre. At omnes ex quæſtione quæſtionem cauſabunt: quippe demonſtrare cogebuntur, quæ cauſa ſit movens imaginativam hanc; nihil enim concipitur, niſi ex quo, & de quo alio aliquo, tàm in formis quàm in ſpeciebus materierum: neque credo, non Ens unquam à quodam ſibi imaginatum fuiſſe, licet imaginatio ſæpè depravetur, ne dicam, extremè corrumpatur, in quibusdam circa quædam, attamen imaginabilia, & ex Entibus compoſita. De cauſa igitur quæſiti ſecretiori, hoc, quod in aerem referri debeat ibidem plenum horribilibus homicidii ſpeciebus, qui ſpiritum hominis: quia homini inſpiratur, atque ab homine attrahitur: ſimilibus horrendis horrendorum facinorum ſpeciebus afficit atq; perturbat, unde contingit ſequi pavorem. Siquidem omne ſubitò imprimens naturam ſtupefacit. Si ergo idola, ſeu ſimilitudines & ſpecies,

quæ

quæ à rebus & sermonibus derivan-
tur, in ipso aere multiplicantur & for-
tificantur, quousque perveniant ad
sensus, & tandem ad phantasiam, at-
que animam recipientis: animam
audio solutam à curis, nec impedi-
tam, species hujusmodi conceptu-
um in mente expectantem, & ab his
se informari patientem: his, inquam,
suppositis, non ineptè arbitrati sunt
Philosophi, aerem causam esse so-
mniorum pluriumq; aliarum anim-
impressionum. Nec obstat, si qui-
piam objiceret, tales rerum specie-
proprietate formali, sensus hom-
num & animalium respicere. Atqu-
res plana est, nec dubitandum, qui-
à cœlo, dum in aere vivunt, acquiran-
aliquam impressionem, ex qua un-
cum aptitudine ac dispositione rec-
pientis, magis ferantur ad sensum
nius quàm alterius: cujus rei exp-
rientiam in quibusdam ingeniis o-
viam habemus. Et scio quendam, q-
in aere nubiloso & Melancholi-
de

dormiens, divinare potuit, quid ille vel ille simul in conclavi eodem somnum capiens, somniaverit, nec non somnia quid significent explicavit: cujus generis admiranda plura eveniunt ex naturali Philosophia: nec vellem, ut sub signo stupidi judicii aliud statueretur. Et vixit non admodum multis ab hoc annis Abbas quidam, qui (ut ipse refert, & hactenus confirmatioris fuit) ex prædicto fundamento, posuit naturaliter, & procul omni superstione, nullo alio spiritu mediante, alio homini ad quamcunque longissimam etiam vel incognitam distantiam & mansionem, brevissimo tempore nunciare mentis suæ conceptum: & scribit is ipse, quamvis tempus, in quo istud fit, non potuerit præcisè mensurari, tamen intra viginti quatuor horas id fieri omninò necesse esse. In hac sententia & alius quidam Philosophorum, certe non exiguus firmissimè hæret. Plotinus insuper probat & docet:

1. quomodo Idola quædam formarum in mente, ex mente, non modò spiritualia, sed etiam naturalia à rebus effluant: 2. per influxum quendam corporum à corporibus: 3. atq; in ipso aere recolligantur & confirmentur: 4. & tum per lumen, tum per motum: 5. tum ad visum, tum ad alios etiam sensus sese nobis offerant & ostendant, ac tandem in nos mirabiliter (dubito an naturaliter, ex præcognitis cujuslibet in quolibet) operentur. Inter dictos asserit unus, se flante austro, in aeris densati & consolidati tenuibus nubibus, vidisse vel uti in speculo reflexum imaginum valdè distantium castrorum, montium, equorum, hominum & aliarum rerum, quæ decedentibus nubibus mox evanuerunt. Citat is ipse in consensum Philosophum in Meteoris, quod scribat in nube aeris conspici Iridem, similitudine quadam speculi: item quod idem Aristoteles referat cuidam ex visus debilitate contigisse

u

ut ſpeculum illi factus ſit aer propinquus, radiis viſivis ad ipſum reſilientibus repercuſſione, propter prohibitam penetrationem objecti viſibilis: hic unde quorſum ibat, Idolum ſeu umbram corporis ſui adverſa facie ſeſe præcedere arbitrabatur. Is idem auctor, ex Alberti monumentis refert, quod effigies corporum, naturæ vi, in aere humectato facilè effingi poſſint, eadem ratione quâ imagines rerum ſunt in rebus. Dæterum ponit admiranda ex Philoſophia naturali à ſe producta artificia, quæ nudæ jucunditatis gratiâ hîc recenſebo.

Primum eſt de ſpeculo mantico. Speculorum (inquit artifex) quorundam artificio, quas voluimus in aere imagines, etiam remotè extra ſpeculum, produximus & conſpiciendas exhibuimus, quas imperiti homines cernentes Dæmonum aut animarum umbras ſe videre putabant: cum tamen non tale quid erat, niſi ſimulacra quædam, ſibiipſis cognata,

ac vitæ omnis expertia. Alterum est jucundum sanè & mirandum. Si quis in loco obscuro & omnis luminis experto, nisi quod per minimum foramen solis radius alicubi ingrediatur, supponat illi immisso chartam albam aut speculum planum, videre potest in eo quæcunq; foris à sole illustrata aguntur. Tertium præstigium admirandum magis est, ubi pictis certo artificio imaginibus, scriptisvé literis, quis nocte serenâ, plenæ lunæ radiis opponat, quarum simulacris in aere multiplicatis, sursumq; raptis, & unà cum lunæ radiis reflexis, alius quispiam rei conscius, & hoc artificio instructus per longam distantiam videt, legit & agnoscit in ipso disco seu circulo Lunæ omnia, quæ in charta scripta fuêre ab alio, licet longè distante. Quod equidem nunciandorum secretorum obsessis castris & civitatibus artificium utilissimum est: olim à Pythagora factitatum, & hodie, quod certo certius apud reges &

magna-

magnates in summo honore habetur: & sentiant alii, quod placeat, ego & fieri posse & non posse existimo. Addit auctor horum miraculorum quod sicuti hæc simulacra reflectuntur ad visum, ita nonnunquam etiam ad auditum, quod ex Echo manifestum esse, prætendit. Subdit: sed sunt illis quæ dicta sunt occultiora artificia, quo quis etiam per remotam distantiam audire & intelligere queat, quid alius loquatur vel susurret in occulto. De ventorum & præcipuorum aëreorum meteororum ortu, originis loco, natura, causa & motu atq; discrimine, legantur authores: hic tantum de Ideali forma Elementorum agimus.

CAPUT XII.

CAVSA EORVM QVÆ MOX DICTA SVNT, AGIT, de fascinationibus, quibus illudit Diabolus humanum genus, & de præstigiis Dæmonum variis in aere.

PRæfatis breviter ſubnecto præſtigia Diaboli, & eas, quas in aëre efficere poteſt, faſcinationes: multa plura ſuperiorum temporum, nec non noſtri hujus ſeculi monumenta demonſtrant. Callet Dæmon (ut Virgilii in Alecto carmen eſt) nomina mille habens, mille nocendi artes: quapropter ineffabili varietate, humanum genus, & ſine ullo labore ludere valet. Hoc (ut plura alia taceam) de illis, qui metalla transmutare conantur, luce omni clarius eſt: quorum illuſiones variæ & multi generis, mihique non incognitæ ſunt: inter quas duas ſequentes hîc recenſere placet. Novi quendam, qui ex quovis metallo ſe aurum efficere poſſe jactitabat, cujus artificii admirandum ſpecimen, & me & multis aliis, tàm illuſtribus, quàm aliis aſtantibus perſonis, proferebat. Hic non multo tempore præterlapſo, à quodam Illuſtriſſimo principe (ut ex ferri certo pondere definitum auri pon-

dus produceret, quod se effecturum, confidentiâ sæpè probati artificii persuasus, promiserat) conductus quasi, magnificè & splendidè sustentabatur. Operatione autem ad manus sumptâ, aleæ infelicis jactu, res optato fine destituebatur: nam dum aurum se cocturum firmiter credebat, funem in tigillo loco auri invenit, cujus soliditate vitam tandem conclusit. Cæterum non multis ab hoc mensibus mihi & cuidam almæ Reipublicæ Luneburgensis præstanti, ingenii sagacis & excercitati viro, in Prætoriali dignitate posito, à quibusdam Italis Nobilibus, in Philosophia prisca certè non parum versatis, cujus amplificandæ & altiorum inquirendorum arcanorum gratiâ Germaniam peragrabant, ideo quemvis, de cujus profectu in rebus Chymicis singulari audierant, alloquebantur virum peritum: inter quàm varios sermones Philosophicos, & non vulgares discursus, narrabatur de quodam,

qui ſollicitus ſupra modum de auri præparatione, ſolum ſe in Camera concluſerat, ad quem juvenis gentilis habitus & politi corporis, Cameram ſine ullo conatu aperiens, intravit, & ſalute præfatâ loqui incepit: Domine mi, ex aliis audivi, & jam ipſe video, te profundè contriſtatum eſſe ob metallorum in aurum transmutationem, atque adeo te angi cognoſco dictam ob cauſam, ut paratus ſis te tradere Dæmoni, modò hujus, quod dixi, artificii compos fieres. Itaque omnem mitte triſtitiam & ſequere me, intelliges quæ ſcire deſideras. Et aream ingreſſi, alter qui acceſſerat, dixit mœſto: Accipe ramum de illa arbore, (demonſtraverat autem ficum) affer tigillum, & Mercurium crudum, quem in tigillo diligenter commiſce ſimplici ratione & motu cum ramo hoc ficus. Hic dictis obtemperans peragit mandata, & laborioſe Mercurium miſcens bacillo ficus, videt eundem pedetentim in aurum

con-

converti, & tandem integrum pondus Mercurii, in maſſam puriſſimam auri transmutatum ingenti animi lætitia excipit. Negotio facilimo hoc modo confecto, dixit is, qui hoc ſecretum aurificii antea mœſto demonſtraverat: habes ergo præparandi auri optimi magiſterium, atq; auri pondus, quod meo auxilio ex Mercurio crudo eruiſti, reſerva, & inde honeſte vive. Benè enim ſcio, te plus quàm decem millibus coronatorum dilapidatis, in inquiſitione ſecreti, paulo ante tibi nullo labore, nullo valore revelati, ad extremam paupertatem redactum eſſe. Valedixit & abiit. Quid fit? hic qui prædictum auri pondus retinuerat, idem fiduciâ noviter perceptæ artis conſumit ſecurè, & tandem perdita tota ſubſtantia reiterationem operis aggreditur: at fruſtra tentat priora, exoptato & concepto fine planè infeliciſſimo ſubſequente. Itaq; hâc arduâ rei jacturâ non ſolum in priſtinam mœſtitiam, ſed quoque

in extremam desperationem præcipitatur: sacerdotum autem consolatione resuscitatus incepit vitam in melius emendare, & à proposito desistens, artem Medicam, quam antea feliciter fecerat (at non sua sorte contentus intermiserat) iterum aggressus est, multaq; & ardua in curatione ægrorum, solâ Dei gratiâ (ut videret, quæ ars sit præstantior: Medicanè, an vanitas faciendi aurum?) effecit. His nervosiùs consideratis, neminem fore arbitror, qui non statuat fuisse hoc aurum purissimum & optimum, quod alter sub forma Mercurii supposuerat, & occæcatis fascinatisque adolescens oculis crediderat esse Mercurium. Simile quid de magni illo nominis Mago Scoto ferunt, qui pondus certum plumbi aurifabro attulit, ut ex hoc annulos (quorum aliqui adhuc extant in hac civitate) conficeret aureos: & res successit optatissimè. Dicunt autem Scotum plumbo adjecisse pulveris auri partem correspon-

ſpondentem proportioni menſuratæ transmutationis plumbi: credo, quod fuerit anima vel tinctura auri, quam qui habent non niſi cum alio & ab alio habent. Quis verò is fuerit, de quo anteà dictum, qui tam facili modo, at fucato, docuit juvenem auri generationem, non ſtatim in promptu eſt, bonusnè an malus fuerit Angelus. Certum hoc eſt, omnipotentem noluiſſe, ut perdatur anima illius in tanta diffidentia. Demonſtrans ergo illi vanitatem artis per inſolitū & planè impoſſibilem ordinem aurum creandi, admonuit adoleſcentem, ut in fide & ſpe priſtinam vocationem ingrederetur, & vanitates atque afflictiones ſpiritus vitaret. Nec exiſtimet quispiam, propter hæc quæ dicta ſunt, me in univerſum de Chymia ita ſentire: quam certè, quantum ad metallorum variationem diverſam, & ſummam potentiam in arte medicâ magni facio & maximo honore veneror, Scio enim, quod ſi hæc in

Medico desideretur, nihil in arte, quod laude dignum & arduum sit, præstari posse, sed admodum vulgaria & nutricularia evenire, casu potius quàm ullâ præhabitâ intentione. Maxima verò hodie pars medicorum hanc, quam dicunt Chymiam, artem divinam, non solum ignorant, verum etiam dum pro medicis, vel potius medicastris (si diis placet, ut medicastri sint) haberi volunt, nunquam principia Medica didicerunt, nec à primo tempore (quod cum reverentia dico) studiorum, huic arti incubuerunt, nec cum doctis Medicis unquam conversati sunt, & nullum nominare queunt, ex quo aliquid usu didicerint: sic studio, sic conversatione doctâ, sic exercitatione atque experientiâ languent & prorsus carent. Eja bellus medicellus! unde talis? qualis? immaturus, impurus: sine patre, sine matre, à se ipso natus, partus: nec vivus nec mortuus: nec integer nec dimidius. Unde prodiit

inter ferulas dudum, at dignè delitescens, ex libris alterius ne dicam irrationalis medicastri, ex quibus formulas, vel ut vocant recepta, describit. His homines, imo infantulos bimulos miserrimè excruciat, & crudeli animo trucidat, singulisq; diebus sonare campanas facit. Hic ad sui defensionem injuriosè mentitur, furiosè calumniatur, crimen falsi pervicaciter admittit. Recensere pejora & pessima nolo, ut quæ dignissima publicâ flagellatione: res loquitur. Hoccine flagitium? hoccine exquisitissimum & perfectum extremæ nequitiæ & pertinaciæ exemplar? haud cœlo hic dignus scelestus: at valeat cum reliquis Cacodæmonibus: quorum egregia facta maximam propter affinitatem & similitudinem subjicio. Varia etiam pater omnis mendacii Diabolus in aere illusionum genera producere potens est, quoniam præter imperiorum negotia, quibus se immiscent, aut de horum casibus

fatalibus præſagiunt, in regnis, in bello, in pace, in aulis, in villis, & aliis communitatibus: (ut in bello Peloponeſiacô Attalo regi, Pericli, & Alcibiadi eveniſſe legimus) mirum artificium callent Diaboli, effingendi atq; imitandi opera naturæ. Quamvis autem res novas non creant: nec ſpecies rerum inter ſe commutant: nec, quæ periêre, revocant, aut redintegrant: ſpecies tamen rebus creatis ſimiles, & inania εἴδωλα vel ſimulacra formarum ſecreta, mira arte conformant, objiciuntq;: aut ſparſim in orbe vagantes creaturas in unũ cogunt locum, ut à ſe conditas confectasque hominibus perſuadeant. Præcipua autem eſt Dæmonum in aere potentia, in quo circumvolitant & verſantur: quod dominium eis Paulus tribuit cum Diabolum τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος nominat, & quantum valeat in hac parte imperii, omnium ætatum hiſtoriæ demonſtrant. Pluit ignis cœlitùs, quo oves Job conſumit,

pro-

procellas impetuosissimas commovet, quibus convulsam ab imis sedibus domum diffringit ac disjicit, & liberos opprimit: ut etiam de clade Gallorum ad templum Delphicum satis miraculose & non absq; horrore legitur. Effingunt Dæmones in aere varia phantasmata, & prodigia meteoris similia, figuras confligentium exercituum exprimunt, clangores tubarum, strepitus armorum, sonitus ferientium se mutuò & ex ictu collabentium, voces ejulantium aut exultantium referunt. Formas quoq; animantium, hominum aut rerum aliarum, velut pingunt in aere: præsertim ex coactarum nubium confluxu, atque aspersi cœlitus luminis permixtione ac trajectu. Cient insuper in aëre sęvas tempestates, inusitatos ventorū flatus ac turbines, terrę motus, pluvias, imbres: ejaculantur ex nubibus ἐκνεφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας, tonitrua, fulmina, incendia, fulgetra & coruscationes; quæ omnia non gignunt ipsi,

sed

ſed collecta generataq́; à cauſis naturalibus propellunt ac provoluunt eò quo volunt. Nonnunquam ex diverſis cœli locis, in unum aliquam contrahunt angulum, colliſisq́; inter ſe nubibus, fragores edunt terribiles, ut homines perculſos & velut exanimatos metu, aut fulminum aut conflagrationis ex igne cœleſti excrutient. Nunquam enim ſine halitibus aer eſt: ſeu calidis & ſiccis, quos ἀναθυμιάσεις vocant: ſeu calidis & humidis, quibus τῶν ἀτμίδων nomen tribuerunt, etiam cum puriſſimus apparet: nunquam totus nubibus caret, etſi alicubi clarum conſpiciatur cœlum. Nec difficile eſt potentiſſimis ſpiritibus, brevi momento, quicquid nubium & halituum in toto continetur aere, ceu impetu quodam in unum concitare locum, eliſisq́; fulminibus & fulgetris accenſis, tantum turbare, ut velut crepantis ac diſſilientis mundi fragore terra perſonet, aut tota machina ardere ignibus videatur. Sic &

aerem

aerem Dæmones venenatis halitibus implent, aut veneno fontes inficiunt, aut pestilentibus & noxiis succis pascua imbuunt, ut vel homines haurientes aerem, simul virus in amplissimos cœli tractus sparsum, absorbeant, vel cum aquis fontium combibant, vel pecora id ex gustu plantarũ concipiant, atque in homines propagent. Explorant & norunt fata singulorum hominum, cœli stellarumquè vires, Dæmones, & in variandis efficiendisque hominum temperamentis efficaciam. Tenera corpuscula ex alvo materno prodeuntia, & circumfusum aerem cœli viribus imbutum induentia, atque anhelitu, & micantium arteriarum hiatu sorbentia, simul qualitates à stellis profectas haurire, hos rursus, & in totum perfundi corpus, & humoribus permisceri, ac spiritibus & præcipuorum membrorum constitutioni ceu illiniri & imprimi, tàm validè, ut à parentibus in utero acceptam crasin insigni-

ſigniter vel mutent, vel afficiant; ade
oque totam corporis compagem, for
mari animariq́; vi cœleſti, ut causâ u
niverſali, ſciunt. Sed cum tota natu
hominis causâ fabrefacta ſit, ne petu
lanter ludentes Dæmones, ſuo arbi
trio res creatas, vel deforment, ve
corrumpant & impediant, utrumq́ue
cùm conſiderationem operum div
norum, tùm verum, legitimum & ne
ceſſarium uſum; non concedit eis De
us jus infinitum in naturam rerum
nec infinitam licentiam vel depra
vandi, vel mutilandi ea, quæ ad ne
ceſſarios uſus comparata ſunt ac de
ſtinata, ſed certis limitibus incluſi
coërcet ac continet, nec ultra has me
tas ferri ſinit. Et tantum de his, qua
in aere per aerem fiunt, & à Diabolis
vel per eosdem fieri poſſunt: quorum
omnium illuſtrationem ex monu-
mentis Philoſophorum &
hiſtoricorum peten-
dam cen-
ſeo.

CAPUT XIII.

DE EXCELLENTIA VIRTUTIS ELEMENTA-ris, in quadruplici mixtorum ordine, cuilibet juxta species competente.

DE Elementis sigillatim dictum est: & quædam de mistione eorundem: & quomodo mixta ex Elementis conflantur, his prius diffractis in partes tenuissimas, atq; comminutis, & certâ atq; analogâ mixto mensurâ junctis inter sese, subactisq́; & coagmentatis, concretionem illam omnem cœlo moderante ac temperante, & certum quasi dimensum luminis, calorisq́; vivifici, ad nexum illum firmandum ac continendum affundente, æthereum illum & lucidum spiritum, in corporibus compositis terrenæ molis obfuscatum opacitate, perpetuo tamen, donec sunt illa, inhærentem ac flagrantem, de quo suprà dictum est, & in sequentibus dicetur. Ita enim ex accessu luminis cœlestis, coalitus Elementorum perci-

percipitur & absolvitur, ut juxta leges generationis ac propagationis rerum institutas à DEO architecto in creatione, seu vi & facultate secundum has leges, rebus omnibus insitâ procreentur corpora composita, cùm pro mensura analoga elementorum atque eorundem concretione, inter se diversa, tum certis exornata ac distincta formis, in una communi materia ceu subjecto & viribus instincta peculiaribus, quas confectas ex temperamento diverso ætherei luminis cum elementaribus qualitatibus & concretionis modo, etiam variata efficient & exercent formæ, actionum mirandarum opifices, ceu ope & ministerio illius temperamenti, cui una toti mixto haud dubiè jungitur vis major ac divinior, è luce cœlesti, tanquam organicum præsidium in æthereo, divino, ac lucido spiritu, qui in tota mixta massa ardet ac lucet. Perfectorum autem mixtorum corporum, quæ ex simplicibus Elementis componuntur

onuntur, sunt: *lapides, metalla, plan-e, & animalia.* Ultra hæc summa ge-era in elementari mundo non datur nixti subalternatio: Omnium verò x omnibus Elementis est composi-o, singulorum etiam ex singulis roductio, ex radice elementari pro-ria & præeminente, quam sequun-ur ac imitantur ut principem for-nam. Ideo primum observanda mix-orum basis per genus, ut: (b)

CAPUT XIV.

DE VARIETATE SPE-IERUM ET QUALITATUM ex mixtione elementari, & de virtu-tibus, proximis elementis, singularibus.

EST ex mixtione diversa, tanta diversitas, non solùm rerum ac ecierum dissimilium, quas DEUS itio condidit, ac discrevit: sed & ensuræ atque concretionis elemen-rum in corporibus mixtis. Ex hoc

fonte alia promanarunt opaca & ob-
ſcura, alia perſpicua & quidem per-
ſpicuitatis multiplici diſcrimine &
gradu, differentia; cùm in aqua, a-
re, igne & cœlo, tùm in compoſiti-
ex his, ut vitro, Cryſtallo: & hæc ter-
minata ſunt, illa verò interminat-
Præterea ex mixtione provenit, qu-
alia ſint rara, mollia, levia, friabili-
poroſa, ſed variata priorum form-
magnitudine, poſitu, ductuq; in r-
ctum, transverſum, obliquum: al-
ſunt denſa, craſſa, dura, aſpera, viſc-
da, compacta & ſolida. Hinc eſt
la colorum, ſaporum, odorumqu-
ac virium ac facultatum admirand-
rum, affectionumquè diverſitas
diſcrepantia, in duas claſſes diſti-
ctas ſeparata: è quibus omnis ſy-
pathiæ & antipathiæ, ſeu conſenſi-
& diſſenſionis, ſcaturit ac promana-
ratio.: ſympathiæ & congruenti-
propter cognationem ac ſimilitu-
nem: antipathiæ & diſcordiæ pr-
pter diſſimilitudinem naturaru-

aut propter virium adverſantium ſibi invicem repugnantiam. Diverſa elementorum analogia in mixtione, & concretionis varietas, diſſimiles corporum habitus gignunt: &, ut ita dicam, ſubſtantiæ modum in aliis aliter conſtituunt ac definiunt. His iiſdem in aliis alia reſpondet qualitatum temperies, & harum aliæ principes ſunt, aliæ ex iis ortæ. Principes ſunt uniusmodi & ſimplices: ortæ variæ ſunt & quaſi multiformes, ut ex dictis patet. Et hæ duobus generibus comprehendi poſſunt: uno evidentium, altero occultarum. Evidentes perſpicuitatis gratiâ in duo diducuntur & ſecernuntur genera: unum commune, alterum proprium. De principibus Qualitatibus notandum, quod diſtinguantur: caloris, frigoris, ſiccitatis, & humiditatis ſenſu. Hæ ſunt ſimplices, & gradibus diſtant quàm maximè: & acuuntur aut hebetantur ratione ſubjectæ materiæ. Non enim eſt in omni

mix-

mixto idem gradus caloris. Calores enim in tenui ſubjecto uſtiones ſunt acres & fervidæ, ſed citò evaneſcentes: in denſo ſubjecto & ſolido, tardior, ſed validior & pertinacior infertur uſtio. Ex principum qualitatum temperatione in tenui aut craſſo, raro aut denſo, molli aut duro ſubjecto evidentium (ſive qualitatum, ſive virium dixeris) utrumque genus reſultat proprium, & commune. Ad proprias virtutes referimus medicamentorum vires, quas cephalicas, cardiacas, ſtomachicas, ſpleneticas, & hyſtericas nominamus. Communibus complectimur, vires attenuandi, incidendi, detergendi, aperiendi, digerendi, & alia iſtiusmodi: utrorumque originem temperamenti ratio, moderatioq; docet. Spiritus autem æthereus, imbuit aliqua cognatione formarum, proprias rerum qualitates, quæ à communibus ſejunguntur & cum occultis communicant, quæ ut cognatione, ſic ex ortu formis proxima

ximæ ſunt : propagatæ quidem ex temperatione opaci, terrei, & ſicci, cum perſpicuo aëreo, aqueo & humido, ſed perfuſæ tamen vi excellentiore ac diviniore, cujus in mixtione non ſpectantur veſtigia. Ideo cum formis, quibus aſſociantur, & à quibus immediatè pendent, extra ſenſus humanos poſitæ, nullo horum percipi in ſuo ſubjecto, aut deprehendi poſſunt: ſed ex effectis cognoſcuntur, aut ab obſervatione & experientia, quæ erudita attentione & rerum obſervatione, multa excercitatione & uſu longo conſtat. Sed de his in ſequenti capite. Quantum ergò ad medicum Philoſophum ex his ſingulis, quæ propoſita ſunt, pertinere videtur, hoc eſſe maximè neceſſarium, maximè fructuoſum & ſalutiferum ſtatuo, ut ſciat, non communi & manco, ut (proh dolor) ſolet, ſed altiori & ſecretiori ſcrutandi & penetrandi ductu, quomodo ſecundum has primas, ſecundas & tertias qualitates æ-

gritudines inducantur, inductæ cu
rentur. Quapropter ex alterius Phi-
losophi mente idem thema, at enu
cleatiùs repetendo, propono. Virtu
tes rerum naturales & harum opera
tiones sunt in triplici classe: prima
videlicet, secundâ & tertiâ. I. In pri
ma sunt vires elementares secundum
actum, ut calefacere, frigefacere, hu
mefacere, exsiccare. Hæ qualitate
solæ totam omninò transmutant sub
stantiam, quod aliarum qualitatum
nulla facit. II. In secundo ordine sun
Qualitates illæ, quæ insunt elemen
tatis, seu rebus ab elementis compo
nentibus modo distincto, & non adeo
evidentes: & tales ultra qualitate
primas, ut sunt maturativæ, digesti
væ, resolutivæ, mollificativæ, indu
rativæ, stypticæ, abstersivæ, corrosi
væ, causticæ, apertivæ, evaporativæ
confortativæ, mitigativæ, congluti
nativæ, oppilativæ, expulsivæ, reten
tivæ, attractivæ, repercussivæ, stupe
factivæ, elargitivæ, & lubrificativæ
&

& aliæ plures. Et nota, quod multa qualitas elementalis poteſt agere in mixto, quæ per ſe non operatur ſpeciatim. Communiter autem hæ operationes dicuntur qualitates ſecundæ, quia ſequuntur naturam & menſuram mixtionis primarum virtutum: quemadmodum de his in medicorum libris copioſe tractatur: ſicut maturatio, quæ eſt operatio caloris naturalis, ſecundum certam menſuram in ſubſtantia materiæ: induratio operatio eſt frigoris: ſimiliter & congelatio: & ſic de ſimilibus. III. In tertio ordine, ponuntur eæ, quæ communiter dicuntur appropriatæ, vel ſpecificæ Qualitatum vires, quatenus in certum & determinatum membrum agunt, ut ſunt ſimplicia provocantia urinam, lac, menſtrua, & dicuntur qualitates tertiæ, quia ſequuntur ſecundas; ſicut ſecundæ primas. Inter admirandas Elementorum & mixtorum virtutes, quæ partim artificio, partim naturâ rebus in-

ſunt: eſt ignis, vocatus Græcus, qui comburit aquam, cujus plures compoſitiones Ariſtotelem in qudam tractatu ſingulari de admirabilibus elementorum edito, docuiſſe ſcribitur. Simili modo dicunt fieri ignem, qui oleo extinguitur, & aquâ frigidâ accenditur, quando roratur deſuper. Similis artificii etiam meminit VVeckerus & alii in ſecretis. Item de glacie in aqua accenſa, & de igne in aqua ardente, nec non de igne, qui pluviâ, vel vento, vel ſole accenditur, legimus. Comparatur etiam ignis, qui vocatur ardens, cujus confectio quibusdam eſt notiſſima, qui nihil conſumit præter ſeipſum. Sic quoq; fiunt ignes inextinguibiles, & olea incombuſtibilia, & lampades perpetuæ, quæ nec vento, nec aquâ, nec ullo modo extingui poſſunt, quod penitus incredibile videtur: niſi famoſiſſima illa lampas, quæ in templo Veneris quondam lucebat, argumenti ſpeciem præ ſe ferret: in aqua ardebat lapis asbe-

ſtus, qui ſemel accenſus reverà nunquam extingui creditur. Et ſermoni & chartæ innotuit, Patavii ſuperioribus annis inventam fuiſſe (ut quidam volunt in ſepulchro Antenoris) urnam fictilem his notatam verſibus:

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures:
Ignotum eſt vobis hâc quod in urna latet.
Namq; elementa gravi, clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico: Maximus Olibius.
Adſit fœcundo, cuſtos ſibi copia cornu
Ne pretium tanti diſpereat laticis.

Hâc urnâ apertâ inventa eſt minor alia, & in hac aliæ duæ ampullæ graphicè conſtructæ: quarum altera argentea, altera aurea fuit. Continuerunt autem puriſſimum liquorem, quo lucerna adhuc per multa ſecula conſervata ardebat. Urnulæ inſcriptæ erant hi verſus:

Abite nunc peſſimi fures:
Vos quid vultis cum veſtris oculis emiſſitiis?
Abite hinc veſtro cum Mercurio petaſato caduceatoq;.
Maximus Maximo donum Plutoni hoc ſacrum facit.

Adhuc Venetiis lampadem hanc in palatio cujusdam Clarissimi sive Senatoris conspici, à quibusdam asseveratur. Præparatur etiam lignum, vel aliud quoddam combustibile, ut ab igne lædi no possit. Et fiunt confectiones, quibus inunctis manibus, potest ignitum ferrum nuda manu apprehendi & gustari. Memini etiam quendam potuisse manum in metallum liquefactum mittere, nec non se totum in ignem conjicere absq; ullo damno. In memoriam mihi donatum est à quodam hujus artificii magistro exquisito, elychnium quoddam æternum vocatum, colore & apparentiâ instar fili serici albi, quod ab igne non consumebatur, quamvis ignis flammam conceperat & lucebat. Est & genus Lini, quod Plinius Asbestum vocat, & igne non absumitur: de hoc Anaxilaus ait, circumdatam eo arborem surdis, & qui non audiuntur, ictibus cædi.

CAPUT XV.

DE FORMARUM ET PROPRIETATUM MINUS

evidentium viribus peculiaribus.

FOrmæ hæ latent abſconditæ à conſpectu noſtrorum ingeniorum, obductæ, & involutæ qualitatum multiplicium varietate. E veſtigio enim cum forma certa qualitatũ & congruens temperies, velut agglutinatur mixto: immediatè comitatur, imò ferè præcedit, ſed cum formâ cõpletur ac perficitur, κρᾶσις primarum qualitatũ, aut quę abſolutè exquiſiteq́; εὔκρατος eſt, κατ' ἀναλογίαν ἀριθμητικὴν, ut nulla vincat & dominetur qualitas, aut reſpectu mixti proportione geometrica. Harũ commoderationi cæterę reſpondent, quarum q̃dam propiores materiæ, quod origo earũ ἐκ τῶν παθητικῶν ἀρχῶν τῶν σωμάτων τοῦ ὑγροῦ καὶ τοῦ ξηροῦ: ab Ariſtotele σωματικὰ παθήματα & παθητικαὶ ποιότητες no-

minantur: quædam verò formæ congruunt & ſerviunt, quarum miniſterio efficax eſt illa, ſuasque promit & excercet vires. Latet verò & materia ipſa accidentibus obruta, nec niſi ratione & intellectu cogitata, nimirum elementorum inter ſe transmutatione, quam in ſubjecto aliquo fieri neceſſe eſt, & conſideratis artificum exemplis, quæ naturam imitantur, percipitur. Quare Ariſtoteli eſt tantum κατ' ἀναλογίαν ἐπιϛητὰ, & Platoni νόθῳ λογισμῷ comprehenditur. At τῶν σωματικῶν παθημάτων, alia ἐντελεχείᾳ exiſtunt, quæ velut habitus ſunt corporum, ex varia humidi & ſicci commixtione, à calore p[r]oducta, ut: raru densum, grave, leve, aſperū, lene, durum, molle, craſſum, tenue, viſcidū, friabile, alia tantum κατὰ δύναμιν ἢ ἀδυναμίαν, quorum ratione aliæ ſpecies aliter afficiuntur ab aliis cauſis. Hujus generis illæ ſunt qualitates, quarum ratione, mixta magis minusve ad patiendum apta comperiuntur,
at,

ut, πηκτὸν, ἄπηκτον, quod ſiſtitur aut concreſcit facilè, aut non coit: τηκτὸν, ἄτηκτον, liquabile, illiquabile: καμπτὸν, ἄκαμπτον, flexibile, inflexibile, & reliquæ. At de abſconditis virtutibus rerum quibus inſunt ſermo eſt. Hæ autem non ſunt alicujus elementi, ſed ſequuntur ſpeciem vel formam hujus vel illius rei, ut fugare venenum, pellere anthraces, attrahere ferrum, & cætera. Harum qualitatum exigua quantitas magnum ſatis habet effectum, quod nullo modo Elementali qualitati eſt conceſſum. Vires autem hæ validę cauſantur propter divinum robur formæ, cujus antè fecimus mentionem, ideo cum minima materia plurimum poſſunt. Contra elementalis virtus, quia materialis eſt, ut multum agat, multam etiam deſiderat materiam. Virium autem harum cauſæ latent, & humanus intellectus non poteſt eas usq; quaq; inveſtigare: hujusque particulam quandam experientiâ longâ & laborioſâ
 acqui-


acquirimus, vix rationis indagine. Quid enim in ſtomacho cibum digerit? nonne calor? quem ratione apprehendimus. Quid transformat cibum? reverà cauſà alia occultior, quam ignoramus: quia calorem altitudine indagationis vincit, qui ſi aliquid propriè & primariò poſſet, in olla potius apud ignem, quàm in ventriculo transformaretur cibus. Inter admiranda verò mixta (quorum elementales virtutes agnoſcimus) innatas alias proprietatum vires, & à natura rebus concreatas demonſtrat Phœnix avis, quæ ſeipſam renovare legitur. Matreas olim Romanis & Græcis maximam de ſe peperit admirationem: dicebat enim à ſe feram nutriri, quæ ipſa ſemet devoraret: unde & hodie anxiè quidam ſcrutantur, quænam ſit hæc Matreæ fera. Scribitur etiam, quod Ariſtoteles, Theophraſtus & Polybius hiſtoricus demirentur foſſiles piſces ex terra, quorum in ſcriptis faciunt mentionem. Mi-

rum

rum etiam est, quod Pausanias tradit de lapidibus canentibus. Quis non miretur avem Struthionem, qui ferrum frigidum atque durissimum coquere, & in corporis sui nutrimentũ digerere creditur, cujus etiam ventriculum ferro candente non lædi ferunt. Sic pisciculus ille Echines ita frenat ventorum impetus, & domat æquoris rabiem, ut quantumcunq; etjam imperent & sæviant procellæ, infinitis etiam velis per ventum tensis, tamen usq; adeo solo tactu compescit & cogit stare navigia, ut nullo modo moveri possint. Sic Salamandra & Pyraustæ bestiolæ vivere in igne statuuntur: cum quo etiam portæ Caspiæ ex ære fabricatæ, illitæ ab Alexandro Magno, dicuntur. Hujus generis bitumine arcam Nohæ conglutinatam fuisse colligitur, ipsâ à tot millibus annorum super montes Arcadiæ (quod credi potest) adhuc durante. Omnia hæc sunt occultarum virium opera, quæ non investigamus,

ſiquidem non poſſumus, ſed admiramur, & nobis ignotas ſtupeſcimus. Præterea horum mirabilium habentur alia multa vix credibilia, quæ tamen experientiâ ipsâ cognita ſunt, ut de Satyris fabulatur antiquitas, quæ animalia ſemihumanâ & ſemibrutâ figurâ conſtant, ſermonis tamen & rationis capacia: quorum unum beato Antonio Eremitæ quondam locutum, & gentilem errorem in ſe, animalibus colendis, damnaſſe, communemque DEUM pro ſe precandum, oraſſe, ipſe refert ſacer Hieronymus: eorumque viventem unum olim in publicum productum affirmat, & mox ad Conſtantinum principem deſtinatum & tranſmiſſum fuiſſe.

De his, ut cuidam placet, locutus ſum.



CA-

CAPUT XVI.

CONTINET SENTENTIAM CUIUSDAM PHILOSOPHI modernioris, contra illos, qui originem virtutis spiritualis ex abditis qualitatibus rerum producta stellis tribuunt: & de illis, qui ab Ideis, intelligentiis & causis aliis, has specierum proprietates oriri disputant.

DIsputant de causis occultarum virtutum alii aliter. Quidam ab Ideis per stellas proficisci: alii ex qualitatum primarum tali temperie, unà cum ipsis formis produci, innasciq; mixto volunt. Et velle inquirere quæ sit harum natura, qua vi cieantur, quomodo vim suam exerant, est meo judicio rem tentare impossibilem. Sic Deus condidit naturas, & certis eas distinxit formis, quibus vires indidit, certarum actionum effectrices. Atq; ut formas ignoramus, ita vix unquam quæ ab his fluunt ac

dependent, occultarum qualitatum naturas pervestigabimus & assequemur. Per Canones autem clarior evadet sententia auctoris: his enim thetice exponit, unde occultæ rerum vires originem ducant. Est g. 1. manifestum: Deum naturæ conditorem quibusdam rebus peculiares vires à prima origine indidisse. 2. Hæ vires plantarum atq; animantium seminibus potentiâ insunt. 3. In enata hæ propagantur corpora. 4. Ex quatuor generibus Qualitatum (de quibus in sequentibus) temperatis inter se exactissimè secundum ordinatam primitus analogiam, in materia conveniente, & ad formam directis atq; accommodatis, ordine & lege naturæ, proximæ formæ constitutionem antecedunt. 5. ad hujus formæ essentiam proximè accedunt. Ex his fundamentis modernus existimat produci ac propagari specificas qualitates, & non innecti à peculiaribus stellis. Quando enim cum mixtione cæ-

tera-

terarum qualitatum abſoluta forma introducitur, ſeries & radix præcedentium Qualitatum ſpectanda, & hoc quod ſeminibus potentiâ quoq; illæ inſint res cogitandum. Procreatur enim ſimile ex ſimili. Ad rationem verò ſimilitudinis abſolutæ pertinent & ſpecificarum qualitatum vel formarum ſpiritualium virtutes, quæ adeò propinquæ ſunt cæteris formis, ut ab illis divelli nequeant. Huic Moderni opinioni contrariæ ſunt variæ aliorum aſſertiones, quæ circa originem occultarum Qualitatum annotantur, de quibus breviſſimè hîc diſſeram. Academici cum ſuo Platone Ideis rerum formatricibus has virtutes attribuunt: Avicenna ad intelligentias: Hermes ad ſtellas: Albertus ad formas rerum ſpecificas hujusmodi operationes reducit: & hic poſtremus à Moderno non adeò alienus apparet, ita ut Modernus Albertinus ſit. Quod ad Platonicos attinet, ſtatuerunt hi, omnia inferiora eſſe Ideata à ſu-

à superioribus Ideis, tanquam à forma supra corpora, animas & mentes unâ, simplici & purâ, immutabili, indivisibili, incorporeâ & æternâ, idearumq; omnium naturâ. Diverso autem ordine & gradibus distinctis has Ideas collocant ac disponunt. 1. Primum in Deo tanquam in ipso bono ponunt Ideas, & has Deo inesse dicunt distincto inter se modo, essentialiter videlicet & accidentaliter, sive relativè. Hoc fit per conditionem & modum causæ unius ad effectum diversum, vel per relativas quasdam rationes: aliàs enim omne quod in mundo est sine ulla varietate esset unicum. Essentiâ verò non discrepant, sed conveniunt: & hoc non concesso, Deum substantiam multiplicem statuerent, quod impium foret. 2. Ut autem in Deo Ideas omnes etiam formam esse statuunt, ita easdem in ipso intelligibili vel in anima mundi multas, & per formas propriè, atque insuper absolutis formis invicem dif-

feren-

ferentes ponunt. 3. In mentibus etjam ponuntur Ideæ, vel in intellectu ſequente. Intelligibile illud, ſive conjungantur corpori, ſive à corpore ſeparentur: hocque fit participatione mutua, & ſucceſſiva, ſecundum alterum gradum perfectionis diſtinctione. 4. Naturæ quoque ſive virtuti mundi tribuunt Ideas tanquam ſemina quædam infima formarum ab Ideis infuſa. 5. Materiæ etiam aſcribuntur ideæ, quatenus intellectu potentiæ inſtar umbrarum, vel obſcuro eſſendi modo illi inſunt. Ergo originem occultarum virtutum, quidam ex ſententia Platonicorum aſſerit eſſe in rationibus animæ mundi, quæ totidem rationes rerum ſeminales continet, quot Ideæ ſunt in mente divina: & his rationbus opinantur aliqui animam mundi ſibi ædificare in cœlis ultra ſtellas etiam figuras, & imprimere his omnibus proprietates quaſdam. Hoc fundamento diducitur, quod à ſtellis, figuris ac proprie-

tati-

tatibus dependeant omnes specierum inferiorum virtutes & proprietates: ita, ut quælibet species habeat figuram cœlestem sibi convenientem, ex qua etiam possidet mirabilem potestatem in operando, qualem per rationes animæ mundi seminales propriam, à sua Idea suscipit dotem. Et sic tria ad inquisitionem occultæ qualitatis concurrunt. 1. Idea in bono ipso: in intelligibili: in mente: in anima mundi &c. 2. Stellæ & alia cœlestia Ideata. 3. Impressio ex his transcendens in species. Porro Ideæ non modo sunt causæ essendi alicujus speciei, sed etiam sunt causæ cujusq; virtutis, quæ tali vel tali specie inest. Pro maxima autem hoc ex principiis Platonicis tenendum, quod virtutibus certis (certam scil. & stabilem rationem habentibus) non fortuitis, nec casualibus: sed efficacibus: sed potentibus, & indeficientibus: nihil frustrà, nihil incassum agentibus, moveantur virtutes in natura rerum existentes:

quæ

quæ quidem virtutes sunt Idearum operationes, quæ non errant, nisi per accidens, ex impuritate videl. & inæqualitate materiæ. Ex hac ratione inveniuntur etiam res ejusdem speciei, magis ac minus potentes, secundum puritatem vel confusionem materiæ. Omnes enim fluxus cœlestes impediri possunt per confusionem & inhabilitatem materiæ. Hinc natum proverbium Platonicum: Secundum meritum materiæ infunduntur virtutes cœlestes. Et res illæ, in quibus minus immergitur Idea materiæ, h. e. quæ separatorum majorem accipiunt similitudinem, virtutes habent potentiores in operatione similes operationi Ideæ separatæ. Tandem vera conclusione affirmatur, figuram cœlestium esse omnis mobilis virtutis, quæ est in speciebus inferioribus, causam.





CAPUT XVII.

CONCILIATIO OPINIONUM, AVICENNAE, Alberti, Hermetis &c. in præfato capite allatarum.

VIdentur hi auctores ſibi invicem adverſari, & à ſcientia Platonica abhorrere: quamvis nullus eorum, ſi rectè intelligatur negotium, à veritate aberret, ſiquidem omnia eorum dicta ad eundem effectum in pluribus convenientia, tendunt. Proceſſu autem ad demonſtrationem, circa occultarum virtutum ortum, utuntur à genere generaliſſimo, ad ſpecialiſſima & Individua uſq;. 1. Primò occurrit Deus, qui Ideis puris & ſimplicibus conſtat (ut antea dictum) & imprimis omnium virtutum finis & origo. 2. poſtea ſigilla Idearum conſideranda ſunt, quæ præſtat ac donat miniſtris ſuis intelligentiis. 3. Hic accedit conſignatio Idealis virtutis

quam

quam hi fideles executores rebus qui-
buslibet ſibi creditis, offerunt & exhi-
bent, mediantibus tanquam inſtru-
mentis cœlis atq; ſtellis: quibus ma-
teria interim diſponitur ad ſuſceptio-
nem illarum formarum, quæ in ma-
ieſtate divina, ut Plato habet, per aſtra
educenda reſident. Has formas da-
tor formarum diſtribuit, per mini-
ſterium Intelligentiarum, quas ſuper
opera ſua conſtituit rectrices & cu-
ſtodes: quibus ea facultas in rebus ſi-
bi conceſſis credita eſt, ut omnis vir-
tus lapidum, herbarum, metallorum,
& cæterorum omnium ſit ab ipſis in-
telligentiis præſidentibus. Adſunt
ergo formæ ſeu virtutes: adſunt 1. ab
ideis: 2. ab intelligentiis præſidenti-
bus & gubernantibus: 3. à cœlorum
aſpectibus: 4. ab elementorum diſpo-
ſitis complexionibus, correſponden-
tibus cœlorum influxibus, à quibus
ipſa Elementa diſponuntur. In cu-
iusq; ergo rei effectus & virtutis exe-
cutione concurrere neceſſe hæc. Sunt
autem

autem operationes ejusmodi in rebus inferioribus per expressas formas: 2 in cœlis per virtutes disponentes: 3 in intelligentiis per rationes mediantes: 4. in archetypo per Ideas & formas exemplares. Et hæc & ab Avicenna, Hermete, & aliis distinctis & concurrentibus necessariò, seorsim annotata, in convenientiam opinionum diversorum auctorum inventa inservi, tanquam totius ordinis virtutum occultarum ratiocinationes.

CAPUT XVIII.

DE SINGULARIUM SUB SPECIEBUS, *virtutibus.*

QVatuor suprà attulimus mixtorum genera: plantas, metalla, & animalia. Harum specierum diversa sunt Individua, quæ diversas continent virtutes, quamvis ejusdem speciei: ut in plantis, lapidibus &

animalibus exempla demonstrabunt. Inter lapides est Magnes, cui virtus inest trahendi ferrum: Adamas suâ præsentiâ virtutem Magnetis tollere scribitur: Electrum & Balagius confricati & calefacti paleam & pannum deducunt: in tenebris Carbunculus lucet: Ætites fœtum attrahit & partum accelerat, suppositus: superpositus corroborat: quod etiam plantis communicat. Jaspis sanguinem sistit: Heliotropus lupis visum perstringit, & gestantem invisibilem reddere fama volat: Lyncurius lapis præstigia ab oculis aufert: Lipparis suffitus omnes bestias enecat: Asbestus accensus nunquam aut vix extinguitur: Synochitis umbras inferorum educere à Magis creditur. Anachites divorum imagines apparere facit: Enectis somniantibus suppositus oracula reddit. Ex animalibus Echeneis piscis navẽ sistit. Chamæleontis jecur exustum imbres & tonitrua excitat: & id genus alia quam plurima,

quo-

quorum usus etiam apud Medicos celebratur. Sub plantis continentur variæ, ut rhabarbarum choleram depellit &c. & in Æthiopia herbam esse scribitur, quæ stagna siccat & omnia clausa aperit. Laticem herbam legimus à Persarum rege legatis dari, ut quocunq; venissent, rerum copiâ abundarent. Et herbam Spartanicam esse annotatur sive Scythicam: quæ si gustatur, vel saltem in ore detinetur, Schytas duodecim dies absq; fame & siti durare narratur. Et Apulejus fatetur se à numine edoctũ multa herbarum & lapidum genera esse quibus homines etiam perpetuam vitam sibi contribuere possunt: sed fa non esse secretum eorum homine cognoscere, qui cum parvum tempu viventes, malis avide studeant, & nullum non scelus audeant, si prolixitat temporis potirentur, neque diis ipsi parsuros. At hoc ethnicorum profanum, vanum: nobis certum, certificatum: narratum narravi.

CAPUT XIX.

CONTINET EXPRESSIOREM SENTENTIAM
authorum, de causis harum virtutum diversarum, diversorum singularium.

ANtea quæſitum fuit: undenam hæ virtutes exiſtant, at nemo ex illis, qui de rerum proprietatibus ingentia volumina ediderunt, hoc annotavit, Nullam faciunt hujus divinæ originis mentionem: Bochus, Aaron, Orpheus, Theophraſtus, Thebith, Zenothemis, Zoroaſter, Evax, Dioſcorides, Iſaac Judæus, Zacharias Babylonius, Albertus & Arnoldus: nullus, inquam, harum proprietatum cauſas inveſtigavit, & tamen hi omnes faſſi ſunt, quod Zacharias ad Mithridatem ſcribit, magnam vim & humana fata lapidum herbarumq́; virtutibus ineſſe. Unde ergo hæc eveniant, altiorem requirit ſpeculationem. Alexander Peripateticus à ſuis

ſenſibus & qualitatibus non diſce-
dens, has vires ab elementis, earumq́
qualitatibus provenire ſtatuit: quod
fortè verum quidam putaret, niſi qua-
litates illæ ſint ejusdem ſpeciei: ope-
rationes autem lapidum multæ, ut
nec in ſpecie, nec in genere conveni-
entes. Conſiderantes ergo ſingula-
res, quæ pluribus inſunt tanquam In-
dividuis, quam in ſpeciebus dotes mi-
rabiles: occurrit ſtatim figura cœle-
ſtium & ſitus ſtellarum. De quibus
certior redditur ſcientia ex ſequenti-
bus maximis.

1. Omne Individuum, quando in-
cipit eſſe, ſub determinato horoſco-
po & conſtellatione cœleſti juxta eſ-
ſe, quatenus tale, quod accipit, con-
trahit ſimul mirabilem quandam vir-
tutem operandi & patiendi rem mi-
randam, præter eam, quam habet à
ſpecie.

2. Hoc perficitur cùm per influxum
cœleſtium, tùm per obedientiam
materiæ generabilium ad animam
mund-

mundi mediantem: quæ quidem talis eſt, qualis eſt obedientia noſtri corporis ad noſtras animas.

3. Si quis concepit formam, id ſentit, quod ad hanc quamcunq; conceptam, corpus moveatur delectabiliter, vel horrendo vel fuigendo: eodem modo animæ cœleſtes, quando diverſa concipiunt, tunc materia per obedientiam movetur ad illud conceptum.

4. Hinc in natura multa apparent prodigia, ex imaginatione ſuperiorum motuum..

5. Ex hoc virtutes diverſas non modo res naturales, ſed etiam quandoq; res artificiales concipiunt; & hoc maximè, ſi anima operantis in idem nititur.

6. Alludit Avicenna: Quæcunque hic fiunt, oportet præexiſtere in motibus & conceptionibus ſtellarum & orbium.

7. Per hoc fiunt in rebus varii effectus, inclinationes & mores, non tan-

tummodo à materia variè diſpoſita, ut multi opinantur, ſed ab influxu vario, & formâ diverſâ, non quidem diverſitate ſpecifica, ſed particulari & propria.

8. Virtus & mirabilis operatio eſt in unaquaq; herba & lapide, ſed major in ſtella, ultra quam etiam ab intelligentiis præſidentibus unaquæq; res multas ſibi arrogat & aſſumit.

9. Potiſſima virtus à ſuprema cauſa dependet, cui omnia mutua & conſummata reſpondent: conſonantia ſuo harmonico concentu, veluti hymnis quibusdam, ſemper ſummum illum opificem collaudantes.

10. Occultâ hac virtute & myſticâ cognatione recte dicere poſſumus, quod omnia ſublunaria Deum laudare queant: quemadmodum in fornace Chaldaica à ſanctis illis pueris ad collaudationem invitantur, cantantibus: Benedicite Domino univerſa germinantia terræ: & omnia quæ moventur in aquis: omnes volu-

tres cœli: bestiæ & pecora simul cum filiis hominum. Quam putas, critice, esse causam, quod hæc verba apposuerim? non inconcinna applicatio, nec nuda verborum cogitatio, sed sublimius quid, tibi prophano imperuestigabile: ergo abi.

11. Nulla datur causa necessitatis effectuum, præter connexionem omnium rerum, cum prima causa, & correspondentiâ ad illa divina exemplaria & Ideas æternas.

12. Unaquæq; res habet in archetypo locum peculiarem, & determinatum, unde vivit & originem trahit.

13. Omnis virtus herbarum, lapidum, metallorum, animalium, verborum, orationum & omnium, quæ à Deo sunt, ipsi insita est.

14. Licet Deus per Intelligentias & cœlos in hæc inferiora operatur, nonnunquam tamen his mediis, aut suspenso eorum ministerio, immediatè ex seipso illa facit, quæ opera tunc miracula vocantur.

15. Quamvis primæ cauſæ, impe-
rio & ordine, ſecundariæ (quas Pla-
to & alii miniſtras vocant) neceſſario
rythmo naturæ agant, & effectus ſuos
producant: nonnunquam tamen pro
libitu ſuo ſic illas abſolvit aut ſuſpen-
dit Deus, ut ab illius imperii & ordi-
nis neceſſitate penitus deſiſtant. Et
hæc maxima Dei ſunt miracula: ut
Ignis in fornace Chaldaica non com-
buſſit pueros: ſol ad imperium Joſuæ
à curſu ſuo unius diei ſpacio retrò
ceſſit: ad Ezechiæ petitionem per de-
cem lineas ſive horas regreſſus eſt ſol:
patiente Chriſto in plenilunio defe-
ctum Sol ſuſtinuit.

16. Harum operationum cauſæ, nul-
lo rationis diſcurſu, nullâ magiâ, nul-
lâ quantumcunque occultâ ſeu pro-
fundâ ſcientiâ inveſtigari aut attingi
poſſunt; ſed ſolis divinis oracu-
lis addiſcenda ſunt &
exquirenda.

CAPUT XX.

DE TERTIO, QVOD DATUR INTER SUPERIORA & INFERIORA, MODO CONNEXIONIS ADMIRANDA.

VArie distribuuntur gradus operationum Individualium & specialium, ab ipsa omnium prima causa Deo: qui idem manens, distribuit singulis, ut vult: cui tamen cooperantur causæ secundæ angelicæ & cœlestes corpoream materiam, & alia illis commissa disponentes. Virtutum ergo infusio his perficitur & constat: Adest Deus infusor: adest particularis virtus imaginum & Intelligentiarum præsidentium: adest concursus radiorum: adest concentus aspectuum, stellarum peculiaris & harmonic⁹. Et sunt hæc unum, & primũ, & superius. Adest res inferior infusum continens: adest individuum: adest species. Et hæc unum sunt:

& extremorum alterum. Adeſt etiam anima mundi, ſeu forma ſpiritualis generica & communiſſima, myſtica & ſecretiſſima. Et hæc eſt unum, & duo, & tria: tertium nempe vinculum & connexus, apprehendens duplici termino, duplici manu, duplex extremum, ſupremum & infimum. Circa hanc triplicem unitatem variè philoſophati ſunt priſci ſapientes, Democritus, Orpheus, & multi Pythagoricorum, cœleſtium vires inferiorumq; naturas diligentiſſimè perſcrutati: omnia dixerunt plena eſſe diis: fortè ex hoc, quod nulla res eſt tam præſtantibus viribus, quæ viduata divino auxilio, ſui naturà contenta ſit. Et virtutes divinas in rebus effuſas vocabant Deos: Zoroaſter divinas illices: Syneſius ſymbolicas illecebras: alii vitas: alii etiam animas nominabant, & ab his virtutes rerum dependere dicebant. At tali perſuaſi argumento, quod ſolius animæ ſit ab una materia extendi in res alias,

circa

circa quas operatur, ſicut homo, qui extendit Intellectum ad Intelligibilia, & imaginationem ad imaginabilia. Et hoc intelligitur, quando dicunt hi Philoſophi: Unius Entis animam egredi & aliud ingredi, & faſcinare ipſum, & ſuas operationes impedire: quemadmodum Adamante Magnetem impediri, ne ferrum trahat, annotatur. De anima loquimur & de corpore. Anima primum mobile eſt, &, ut dicunt, ſponte & per ſe mobile: Corpus vel materia ad motum per ſe inefficax, & ab ipſa anima longè degenerans. Inter hæc duo opus eſt excellentiori medio, quod ſit quaſi non corpus, ſed quaſi jam anima: ſive quaſi non anima, & quaſi jam corpus. Hoc tertio anima corpori connectitur dotata, ratione utriusque, virtutibus variis. Idem medium fingunt eſſe ſpiritum mundi, quem dicere poſſumus eſſentiam quintam: ideo quod non ex quatuor elementis (ſed quoddam quintum

ſuper illa aut præter illa ſubſiſtens) conflatus ſit. Spiritus ejusmodi neceſſariò requiritur tanquam medium, quo animæ cœleſtes inſunt corpori craſſiori, & mirificas largiuntur dotes. Hujus ſpiritus in corpore mundi, forma ejusmodi, qualis in humano corpore noſter. Quemadmodum enim animæ noſtræ vires, per ſpiritum tanquam per tertium adhibentur membris: ſic virtus animæ mundi, per quintam eſſentiam ſeu ſpiritum univerſi dilatatur per omnia. Hujus ſpiritus ſcintilla, nec minimum quod reperitur in natura rerum univerſa, caret, licet virtutis continere videatur admodum exiguam particulam. Differt enim hæc virtus ſecundum perfectionis gradus: & magis ejusmodi admirandæ virtutes infunduntur iis rebus, quæ hujusmodi ſpiritus plurimum hauſerunt. Hauritur autem per radios ſtellarum, quatenus res his ſe reddunt conformes. Hujus ſpiritus beneficio omnis

occul-

occulta proprietas propagatur in herbas, lapides, & metalla, & animantia per ſolem: per lunam: per planetas: per ſtellas planetis ſublimiores. Major & abſtruſior quoque hujus ſpiritus eſt utilitas (ut cuidam viſum eſt) ſi quis illum ſciverit ab aliis elementis plurimum ſegregare quibus ineſt. Et ſi quiſpiam ſegregationem hanc ignorat, modo utatur plurimum his rebus, quæ hoc ſpiritu plurimum abundant. Illæ enim res, in quibus ſpiritus ille, minus immergitur corpori, ac minus cohibetur à materia, potentius perfectiusque agunt: tum etiam promptius generant ſibi ſimile. Namq; omnis generativa & ſeminaria virtus in ſæpius dicto ſpiritu abſconditur, quare alchymiſtæ nituntur eum ſpiritum ex auro argentoq; ſecernere, quem ritè ſegregatum & extractum, ſi poſtea cuivis ejuſdem generis materiæ, hoc eſt, cuivis metallorum ad aurum propius accedenti adhibuerint, aurum ſtatim argen-

tumve conficiunt. Et gloriatur is (cujus hæc quæ refero) quod per ſpiritum hunc facere noverit aurum, & me tale quid vidiſſe peragi, eloquor. Addit autem ille, ſe non plus auri fabricare potuiſſe, quàm quantum fuerit auri pondus, de quo ſpiritum extraxit. Subjicit inſuper rationem: nam cum ſit ille ſpiritus forma extenſa, & non intenſa, non poteſt ultra ſuam menſuram imperfectum corpus in perfectum mutare. At alio artificio hoc fieri poſſe affirmat.

CAPUT XXI.

DE ANTECEDENTIBUS, CONCORDANTIUM & diſcordantium in natura rerum: ratione Conſequentium.

FOrmæ (de qua fuſius ſuprà) adſunt primæ qualitates ipſi attemperatæ, & ſecundæ, ex mixtione primarum propagatæ multiplici diſcrimine.

mine. Aliæ enim propius accedunt ad primarum qualitatum vim: aliæ etsi minus harum naturam referunt, tali tamen sunt præditæ vi, quam ex primis ortam evidenti ratiocinatione colligi potest. Tertiæ quoq; & occultæ, quæ formarum substantiæ similiores & propiores, atq; immediatè annexæ, eò minus cognosci explorariq; sensu possunt, quo à primis absunt qualitatibus longius. Harum ergo inter se virium ceu præsidio & ope amicitias exercent & inimicitias naturæ rerum. His alliciunt ad sese, & quasi manibus rapiunt cognata; nihil enim magis appetit & ad se attrahit, quasi, unumquodq; in natura, quàm rem sui similem. Propterea adversa repellunt; his, aut complectuntur ac fovent, aut infestant ac perimunt sese mutuo: quædam propinquo tantum contractu: quædam fomite: nonnulla ex intervallis. Neque id faciunt, si intercedat distantia, vibratu trajectuvè atomorm ad res

cognatas: aut eorundem obviantium inter se concursu ac recursu (etsi ἀποῤῥίας & defluxiones halituum perpetuas, ab iis corporibus, quæ nutriuntur, non inficiamur) sed vis continente quasi alteratione medii, diffusa, ubi pertingit ad rem similem, aut contrariam, vim similem (sed lædentem) sustentat: contrariam oppugnat aut destruit: aut aliter etiam officit, pro naturarum & virium ratione & conditione. Nam ut sympathia sese aut antipathia exerat, inter res cognatas aut differentes, analogia ut interveniat necesse est. 1. ex facultate agentis, 2. aptitudine patientis, & 3. applicatione: quæ rursus & 1. medium conveniens, 2. & oportunum situm, & 3. contactum seu materialem, seu spiritualem, & 4. adminicula organorum requirit. Et diximus à formis & qualitatibus primis, secundis, & occultis sympathias & antipathias esse rerum. Sed inter has ipsas qualita-

litates plurimum intereſt. Major enim & longè acrior ac penetrantior eſt vis occultarum, quàm evidentium, ut quæ propius formis adſunt, & exactius congruunt. Evidentes verò materiæ propiores ſunt ſimilioresquè, propterea craſſiores & ignaviores. Per illas priores & formis propiores admirando modo in res diverſiſſimis disjunctas à ſe intervallis, actiones ſuas diffundunt atque extendunt.

CAPUT XXII.

DE CONCLUSIVA SENTENTIA CAUſatorum, antipathiæ & ſympathiæ.

EX his, quæ diximus, omnis ſympathiarum & antipathiarū manat ratio; & conſtat ſententia: cujus penitiores cauſas cùm neutiquà intro-

ſpi-

ſpiciam, fateor divinæ ſapientiæ theſauros, in rerum natura ampliores eſſe, & abſtruſiores, quàm ut acumine ingenii humani perveſtigari, viribus erui & exhauriri poſſint. Nec confidentia eorum, qui hæc derident, moveor. Queritur Socrates apud Platonẽ, ſe ex Phyſicis hoc conſecutum eſſe, ut dubitare cæperit de iis, quæ pro certis habuerit. Et revera de multis planè τυφλὰς δόξας tenemus, ut eſt apud Platonem. Agnoſcamus igitur & amplitudinem atq; immenſitatem ſapientiæ divinæ & anguſtias intelligentiæ noſtræ, iiſquè, quæ utcunq; pernoſci poſſunt & explicari, acquieſcentes, neutiquam, aut ſtolido & in Deum contumelioſo errore, nihil eſſe imperveſtigabile ſomniemus: aut vario temerarioq́; conatu quidvis audeamus & aggrediamur: aut cæca & inani perſuaſione blandiamur inventis noſtris, ac ſi conſecuta ſint id, quod inveſtigatur: aut aſſumamus etiam ad rationes detexendas ac tuendas no-

ſtras

ſtras, falſa abſurda ac aliena, recto & jam olim gravi judicio è Scholis exploſa; quales ſunt atomi Democriti & Epicuri, aliorumque Phantaſticorum medicorum deliria & fatuitates: qui dum peregrina & nova quaſi (at ſatis jejuna) inventa hinc inde effutiunt, quid & quæ principia ſint veræ Philoſophiæ & Medicinæ ignorant. Ut autem oſtentent ingenium, ſingularibus formulis ſcribendi negotia ſua ad alios regula (ſi diis placet) epiſtolari incumbunt, atq; formulis verè ſingularibus, à nullo unquam inventis, excultis & approbatis, ab omnibus exploſis, caſtigatis & ſannis ſepultis. Hoccine ſapere, præ nimia ſapientia inſipere, & pueriliter delirare? Eja methodice medice conceptu confuſus, mente inordinatus ac monſtroſus qui es, valeant hæc futilia, & toto genere inutilia concepta: Nos ſanioresMedici quantum ad ſtatum rei ſpectare videtur, innixi veſtigiis & argumentis Philoſophiæ veræ,

revo-

revocemus ad causas ea, quarum principia demonstrativa comprehendi ac demonstrari posse judicamus, quæ res obscuras utcunque illustrant, & veritatem quærenti satisfaciunt: interiora ac recondita attingamus & tractemus verecundè. Nec pusilli, abjecti, angusti ignavique ingenii esse ducamus, aliqua ignorare, aut ita de eis disserere, ut Dei sapientiam, vimquè omnem ac potestatem, anteferamus contemplationi ac prospicientiæ nostræ, quæ sæpè impingit, labitur, errat, hæsitat, sæpe prorsus insistit ac deficit. Fugiamus arrogantiam, aut profitentem majora viribus, aut ostentantem etiam ac jactantem inventiones rationesque vanitatis aut futilitatis non expertes: ac gloriosius esse ducamus, ac abdita, abstrusaquè in natura confugere, ubi se nihil ἀξιόλογον offert quàm pro veris falsa, pro explicatis involuta, & non cohærentia: pro firmis lubrica, pro solidis jejuna, frigida

da, fictitia: & tandem pro gravibus & ſeriis, levia & ridicula comminiſci & obtrudere. Cur ringimur, aut cur laboramus anxiè? ut monſtremus cauſam, quare in ſeptentrionem ſe Magnes convertat: aut quare inter ſe diſſideant braſſica & vitis, cum reddi ratio nequeat alia, calido cur frigidum adverſetur, niſi quia horum natura ſingula in ſingulis ita condita eſt.

CAPUT XXIII.

PROPONIT COMMUNICATIONUM ET IMpreſſionum, unius proprietatis diverſa in aliud ſingulare & diverſum & non diverſum, exempla.


PErſpicuum ergo eſſe arbitror, proprietates in rebus occultas, & harum concordantias & diſcordantias, non ab elementi natura ſed cœlitus inſitas: ſenſibus noſtris occultas, ratione vix deniq; notas, vel prorſus

ſus ignotas & à vita ſpirituq; mundi per ſtellarum radios in materiam profectas, à nobis non aliter quàm conjecturis & experientia indagari poſſe. Quicquid autem utilitatis in Philoſophum Medicum ex hac cæca inveſtigatione (ſiquidem manifeſtior non convenit humano ingenio) redundare poteſt, comprehenditur in his: 1. Ut conſideret, quod unaquæque res movet & convertit ad ſuum ſimile, & inclinat ad ſeipſum, ſecundum totum poſſe ſuum, tam in proprietate β virtute occulta, quàm in Qualitate β virtute Elementari. Hoc etiam quandoq; in ipſa ſubſtantia evenit, ſicut in ſale videmus: nam quicquid diu ſteterit cum ſale, fit ſal. Omne enim agens cum agere cæperit, non ad inferius ſeipſo movet, ſed quodammodo quoad fieri poteſt ad ſui par & conſentaneum. Hoc manifeſtè apparet in animantibus ſenſibilibus, in quibus cibum, non in herbam vel plantam nutritiva virtu

transmutat, ſed in carnem convertit
ſenſibilem. Quibus ergo rebus ineſt
alicujus Qualitatis, vel proprietatis
exceſſus: ut, calor, frigus: audacia,
timor, triſtitia, iracundia, amor, o-
dium: vel quævis alia paſſio aut vir-
tus: ſive inſit ipſis per naturam, ſive
quandoque etiam per artem vel ca-
ſum, ut audacia in meretrice: hæ res
ad talem qualitatem, paſſionem, vir-
tutem, maximè movent ac provo-
cant. Hac rationis correſpondentia
ignis movet ad ignem, aqua movet
ad aquam, & audax movet ad audaci-
am. Hæc itaq; conſideret, qui in hoc
ſtudio operari affectat. At hoc mi-
randum admirandæ experientiæ my-
ſterium, quod tanta ſit rerum natura-
lium potentia: ut non tantum cun-
ctas res ſibi propinquantes ſua virtu-
te afficiant: verùm etiam præter hoc
infundant ipſis conſimilem poten-
tiam, per quam hac eadem virtute
ipſæ etiam cætera afficiant: quemad-
modum in magnete videmus, qui
qui-

quidem lapis non ſolum annulos fer-
reos trahit: ſed vim ipſam ipſis an-
nulis etiam infundere creditur: quâ
hoc idem efficere poſſunt quod præ-
ſtet magnes: Talem ſe vidiſſe refe-
runt Albertus & Auguſtinus. Eo-
dem modo fertur, quod meretrix pu-
blica, in qua audacia eſt & impuden-
tia ſumma & infinita: hac ipſa pro-
prietate cuncta ſibi propinqua affici-
at, adeo forti & valida vi, ut reddan
hæc eandem deinde aliis. Hinc di-
cunt: quod ſi quis induat Camiſiam
vel induſium meretricis: vel ſecum
habuerit ſpeculum, quod ipſa quot
die inſpexerit, reddetur audax, inti-
midus, impudens & luxurioſus. Si-
mili modo dicitur pannus, quo fu
in funere cadaver tectum, concipe
ex hoc proprietatem aliquam mœſti-
tiæ & ſaturnalem virtutem. Sic e
laqueo vel catena ſuſpendioſi fertu
quod aliquas habeat admirabiles vi-
rtutes, quod ß valeat contra ſympt
ma illud, quod à vapore craſſo oritu

& dicitur Cramphus: ſic ad catharrum ſuffocativum, ad firmitudinem ligationis amicorum, & ad alia quàm plurima hunc conducere ſententia eſt. Haud alienum ab his eſt illud Plinii, qui: ſi quis terram ſubſternit lacertæ viridi excæcatæ, & unà in vitreo vaſe annulos includat, ex ferro ſolido vel auro: & cum apparebit viſum recepiſſe lacertam: hâc ex vitro emiſsâ: annulos reſervatos contra lippitudines valere, commemorat. Idem de annulis & muſtela valere narratur: cujus oculis punctim erutis, etiam viſum reverti conſtat. Hac intentione ponuntur quoque annuli in nido paſſerum ſive hirundinum, quorum uſus poſtea eſt in amore vel benevolentiâ conciliandis.



CAPUT XXIV.

RECENSET PROPRIETATUM OCCULTARUM quasdam operationes per regulam specificæ convenientiæ propriæ.

IN confesso est apud Medicos, cerebrum juvari à cerebro, & pulmonem à pulmone. Sic habetur: quod ranæ oculus dexter, dextri, sinister sinistri suspensi è collo in panno nativi coloris, lippitudines sanent: & hoc etiam commune esse dicunt oculis cancri. Sic pedibus testudinis virtutem inesse scribitur, quod conferant podagricis adalligati, ita ut pes pedi, manus, manui dextræ, dextera, sinistræ læva suspendatur. Eodem modo dicunt animal sterile provocare & communicare sterilitatem: & ex eo maximè testiculi & matrix vel urina. Sic scribunt mulierem non concipere, qui quolibet mense de urina mulæ, vel aliquid infusum in e-

ed

ederit, aut biberit. Ergo qui vult mirabilter & occulto modo operari aliquam virtutem vel proprietatem, quæramus animantia vel alias res, quibus talis proprietas excellentius ineſt, & ex his aſſumamus nobis partem, in qua talis proprietas vel virtus maximè viget. v. g. Si quis velit promovere amorem, quærat animal aliquod, quod maximè diligit: cujusmodi ſunt columba, turtur, paſſer, hirundo, motacilla: & ex his ſumantur membra vel partes, in quibus maximè viget Venereus appetitus, ut ſunt: cor, teſticuli, matrix, priapus, ſperma, menſtruum. Fiat autem hoc eo tempore, quando animalia tali affectu maximè rapiuntur & intendunt, tunc enim valde provocant amorem. Simili ratione pellem cervinam tempore inſani amoris cervo detractam, & ſuper lectum ſtratam, dum coëunt conjuges, libidinem cauſare affirmant. Si autem cervæ corium uterum geſtantis eodem modo

adhibetur, fertilitatis auxilium eſſ
probant. De his loquor, ut Medicus
qui naturæ eſt inquiſitor, & cui quæ
dam donanda. Sic ad audaciam com
parandam ſuadent ſecum geſtare, co
vel oculos, vel frontem, vel aliu
membrum leonis, & galli. Idem in
telligit Pſellus apud Platonem: quo
canes, corvi, & galli, conferant ad vi
giliam; nec non Philomela, veſper
tilio & noctua: atq; horum maxim
caput, cerebrum, cor & oculi. Hin
dicunt, ſi quis cor corvi vel veſperti
lionis ſuper ſe poſuerit, non dormita
bit, donec deponatur; idem facere c
pinantur caput veſpertilionis ari
dum alligatum in dextro brachi
vigilantis; idem quoq; ſi ponatur ſu
per dormientem, non excitari dic
tur, donec depoſitum fuerit. Eoder
modo rana & bufo efficiunt loqua
cem, & ex his maximè lingua & co
Sic lingua ranæ aquaticę ſuppoſita c
piti facit loqui in ſomnis; & cor bu
bonis impoſitum mammæ mulier
do

dormientis sinistræ, fertur efficere, ut eade omnia secreta pronunciet. Hoc quoq; affirmatur de corde noctuæ, & sevo leporis posito supra pectus dormientis. Simili ratione omnia animalia longæva ad vitam conferunt longævam: & quæcunque habentia in se virtutem renovativam conferunt ad nostri corporis renovationem & iuventutis restitutionem, quod multi medicorum se novisse ostenderunt. Res claret in vipera & serpentibus. Ex hoc fundamento cervos renovare senectutem suam comestione serpentum traditur. Sic & Phœnicis memoria extat, iterum renovati per rogum, quem sibi construxerat. De dextro pede Pelicani hoc habetur: quod si sub fimo calido ponatur, post tres menses regeneretur ex eo pelicanus. Res mira, si vera. His adducti aliqui medicorum, confectionibus quibusdam ex vipera & helleboro, & ex quorundam animalium carnibus compositis se juventutem restituturos pro-

mittunt, & legitur, quod quandoque restituerint nonnunquam, id est, raro vel nunquam talem, qualem Medea Peliæ seni promisit. Tandem creditur, ursi sanguinem applicato ore è recenti vulnere haustum, corporei roboris incrementa suggerere, siquidem animal hoc robustissimum censetur.

CAPUT XXV.

DE INTRODUCTIONE OPERATIONUM QUALITATUM GRADUALIUM, AD SYMPATHIAS & ANTIPATHIAS.

REpeto breviter superiora quædam. In mixtis varietas pene infinita, & nullo hominum satis, vel explicatè cognita, vel certò pervestigata τῶν συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν, quæ sunt convenientiæ atque conjunctiones, vel contrà discrepantiæ atque adversationes rerum inter se. Hoc certum est præcipuas, maximeque insignes,

gnes, ex mixtione formalium qualitatum oriri συμπαθείας & ἀντιπαθείας, quæ congruunt formis, & harum vi cientur. Illæ enim agunt aliquid, & efficaces solæ sunt: earum sese ope & ministerio forma exerit atque extendit, nec aspici aut cognosci potest propius, quàm in hisce. Observandum hic diligenter est, quod formalium qualitatum, quibus inter se aut consentiunt, aut dissentiunt ac pugnant intrinsecæ rerum formæ, gradus in universum sint quinque, qui quibusdam omnes, aliquibus non omnes inesse reperiuntur.

Primo gradu continentur primæ Qualitates, calidum, humidum & siccum: & has omne perfectum mixtum habet, sed suæ attemperata speciei. Ex harum inter se commixtione & commoderatione in materia vel crassa, vel tenui, vel media, inter utramq; proximè oriuntur sensuum objecta colorum, sonorum, odorum, & præcipuæ saporum differentiæ, ut:

dulce, amarum, acre, acidum, auſte-
rum, acerbum, ſalſum, pingue. Ni-
hil enim hîc de materiæ dicam quali-
tatibus, quarum ſuprà eſt facta men-
tio. Ex primis & ſecundis ſua inter ſe
temperie, pro diverſitate materiâ ſu-
ſtinentis, & excipientis commixtio-
nem, producuntur ac conſtituuntur
diſcrimina tertii generis Qualita-
tum: quæ ſunt quæ rarefaciendi, con-
denſandi, emolliendi, indurandi, ul-
litu ſuo inferciendi, detergendi, at-
trahendi, repellendi, laxandi, con-
tendendi, ora venarum aperiendi,
contrahendi, incraſſandi, attenuan-
di, dolores ſedandi, dolores efficien-
di, concoquendi, pus movendi, dige-
rendi per halitum, ſudores provocan-
di, ſoporem inducendi, ſtuporem ac-
cerſendi, ſomnum conciliandi, ani-
mum alienandi, putrefaciendi, adu-
rendi, exulcerandi, fundendi, den-
ſandi, cogendi, ſuccum pravum gi-
gnendi, attemperandi, expurgandi,
ſiſtendi, exaſperandi, leniendi, à far-
ſtu

ctu liberandi & infarciendi vim habent: quæ lac aut ſemen gignunt, aut extinguunt, aut provocant, aut reprimunt, carnem in ulceribus procreant, cicatricem obducunt, glutinant, purgant, exedunt carnem inutilem. Sic quæ abſtergendo, aut lubricos reddendo meatus, aut comprimendo, aut aperiendo, laxandoque aut attrahendo, evidentibus non occultis qualitatibus, vacuant. Huc pertinent, quæ epati, auribus, oculis, dentibus, coxarum dolori, renibus, ſpleni, podagræ, arthritidi, laterum dolori, tuſſi & comminutionis calculi, dicata & appropriata ſunt. Sub quinto genere collocantur, ſpecificæ vulgo dictæ qualitates, de quibus ſuprà copioſe titulo occultarum diſſeruimus: & clarius patebit in ſequentium antipathiarum & ſympathiarum graphicâ delineatione.

CAPVT XXVI.

DE QVIBVSDAM COMMVNIBVS, ANTIPAthiarum, & sympathiarum exemplis: 1. ratione positus aspectuum cœlestium, 2. & temperamenti aeris.

INter varia penè stupenda mundi opera vel præcipuum est, mirifica inter se consensio omnium partium, & sympathia & antipathia, rerum. Orbes stellarum circumfluxu suo cingunt, & complectuntur regionem mundi elementarem, quæq; in eis ex elementis conflata continentur, atq; existunt corpora. Neque solum afficiunt ea motu & lumine, excitatis qualitatibus primis, iisque aliàs alia proportione junctis, coactisque in unam temperiem: verumetiam tanquam occulta vi influentes, quæ à reflexo lumine oritur commovent. Ordine igitur inquiramus cœlestium efficaciam, in discordia & concordia

mixtorum. Occurrit primò à ſtellis amicitia erga magnetem. Stellæ enim poli borealis ad ſe magnetem convertunt, ita ut nusquam magnes reperiri credatur, niſi verſus ſeptentrionem. Attamen de hoc obſervatum fuiſſe ſcribitur, quod perpendiculum in navigatoria pixide, magnete illitum, in noſtro hemiſphærio à fortunatis Inſulis (quas Strabo ad occidentem ſitas eſſe ſcribit) ad Catygaram declinet dextrorſum, gradibus circiter novem. In altero autem hemiſphærio, nutare perpendiculum ſiniſtrorſum annotatum fuiſſe affirmant. Moxq; ubi perventum eſt ad Meridianum, Aſtorum vocatarum Inſularum, exactè congruere ad lineam Meridionalem, nec alterutram nutare in partem: inde verò inflectere ſeſe idem perpendiculum, à dextris poli, verſus ſiniſtra. Sit ergo quod magnes tam vario modo vertatur: occultum tamen eſt, quod huc vel illuc, præcipuè autem verſus borealem plagam, ad

quam omnes prædictas conversiones sensim inclinare colligimus, convertatur. Solis amicitiâ circumaguntur helitropion, tragopogon, ornithogalum, lupinum: trifolium floris colorem ter in die mutare memoratur, & non nisi ad solem hæc vicissitudo accidit: ita ut manè candidum; meridie purpureũ; vesperi puniceum conspiciatur. Ipso die solstitii, populus alba & salices folia circumagere observatum est. Oriente Sirio Parra avis ipso die non apparet, donec occidat. Thynni marini œstro corripiuntur; coccyx occultatur. Præterea certi positus stellarum, certos in humano corpore humores, partes, sensus, aut vegetant, aut hebetant, aut depravant. Qualitatibus quoq; primis impressis aeri, cæterisq; elementis, non eodem modo afficiuntur mixta omnia: bruma floret veratrum: favoniis spirantibus thymelæa efflorescit, moxq; hanc insequuntur viola alba, narcissus & trissago, quæ vere primo prodit.

CAPUT XXVII.

DE QUIBUSDAM PRAESAGIIS, EX ANTIpathia & sympathia, ab animalibus, plantis, & aliis mixtis desumptis.

ANimantia omnia universales temporum mutationes, & qui particulatim accidunt, tempestatum exortus sagacissimè, priusquam invalescant, ceu odorantur: propterea magna ex parte, aut hyeme ingruente, vel si aer infectionibus sordescat, aut obtorpescat, calidius puriusquè cœlum, priori deserto, captant, & quærunt; aut terrâ se condunt, aut excessas & excavatas arbores, subeunt, quosve æstate construxerant alveos; ac delitescunt tantisper, donec abeat frigus, & tepidiore, blandioreque aura renitescat cœlum: aut ex sylvis & horridioribus locis, in habitata & culta commigrant; intraq; domos, si exasperetur hyems, sese abdunt:

aut manent in ſylvis, quarum paucæ ſunt, ut tetráones, attagenes: aut ad aquas degunt. Et animalia quæ diſcedunt, ferè ſtatis temporibus abeunt, ſtatisq; revertuntur: ut olores, ciconiæ, feri anſeres, coturnices & aliæ. Ex his ergo animalium mutationibus, de anni temporibus, & de diverſa aëris tempeſtate, judicium facere etiam vulgus novit. Quædam alia, peculiari ſympathia occultantur æſtate, ut inter aues γνάφαλος ſeu fullo cognominatus: quædam hyeme, ut mures alpini, glires. Vireo auis γλωρίων dicta, tota deliteſcens hyeme, ipſo die ſolſtitii provolat. Noctuæ ſexagenis diebus hyeme cubant. Eſt & alius modus affectionis quorundam animalium: coccyx & luſcinia, caniculæ exortu mutant vocem, & canere deſinunt. Milvi à ſolſtitio podagra afficiuntur. Corvi itidem ægreſcunt ſexagenis diebus ſiti maximè, antequam fici coquantur autumno. Septem ante brumam diebus halcyones nidi-

nidificant,&totidem ſequentibus pariunt. Cincindulæ, quas λαμπυρίδας Græci vocant, & ab Ariſtotele & Plinio annotatæ ſunt veſperi circumvolitantes, maturitatis hordei, & ſationis milii ac panici ſigna præbent. Formica animal minimum interlunio quieſcit, plenilunio etiam noctibus operatur. Et his ſimiles plurimas habent obſervationes agricolę Quantum ad cætera animalia juxtà ac hominem pertinet, breviter refero hoc: quod luna augeſcente exuberent, & effluant in corporibus elementaribus humores: luna verò ſeneſcente, defluunt & marceſcunt: luna deficiente in ſolis oppoſito areſcunt, & torrentur. Simili modo eas, quæ in dies horasq; accidunt mutationes qualitatum: aliæ naturæ, aliis citius atque evidentius percipiunt. Argumento ſunt præſenſiones, aut oborientium jam,aut paulò poſt ſecuturarum tempeſtatum, contagionum, & aliorum hujusmodi, in animantibus & plan-

tis. Pulmones marini in pelago plurium dierum, visi; hyemem & tempestatem portendere, nautis observatum est. Delphini, tranquillo mari lascivientes, flatum, ex qua veniunt parte spargentes aquam, tranquillitatem; innuunt. Lolligo volitans: conchæ adhærescentes: echini affigentes sese, aut arenâ saburrantes, tempestatis signa edunt. Ranæ quoq; ultra solitum vocales, & fulicæ matutino clangore, mergi anatesq́; pennas rostro purgantes, ventum indicant, cæteræq́; aquaticæ aves concursantes. Contrà in mediterranea festinantes grues; mergi, in maria aut stagna fugientes, idem significant. Atq; grues silentio per sublime volitantes, serenitatem; sicut noctua in imbre garrula ut sereno, tempestatis nuncia est. Corvi singultu quodam latrantes, sesequè concutientes, si continuant, crocitum, ventos: si verò carptim vocem sorbent, ventosum imbrem demonstrant: graculi serò à pabulis rece-

recedentes, hyemem, & albæ aves, cum congregantur, & cùm terrestres aves, contra aquam clangores dant, perfundentes sese, sed maximè cornix: hirundo tam juxta aquam volitans, ut eam stringat, aut pennâ percutiat; anseres continuo clangore intempestivi, ardea in mediis arenis tristis; pecora exultantia, & indecorâ lasciviâ ludentia; boves cœlum olfactantes, seq; lambentes contra pilum, turpes porci, alienos sibi manipulos fæni lacerantes; segniter, & contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, vel ova progerentes; tandem vermes terreni erumpentes, eandem tempestatum significationem habent. Sic sciuri præsagiunt tempestates, obturatisq; quâ spiraturi sunt venti cavernis, ex alia parte fores aperiunt. Passeres & cæteræ aves sentiunt aeris infectionem: quare contagionibus grassantibus, si vis veneni amplificetur, in tantum ut aerem occupet, & inficiat, abscedunt.

Et tantum de animalium præſagiis: ſequuntur plantæ, & alia elementata divinantia. Faba floreſcens apiculam evocat, & hæc procedens, fabam florere indicat: faba & apis finiunt indicium hyemis: morus germinans aut effloreſcens rubus, à frigoris injuria, nihil amplius reſtare periculi, docet: trifolium quoq; inhorreſcere, & folia contra tempeſtatem ſubrigere certum eſt. Ægrè de arboribus defluentia folia, & exciſa fagis fruſta lignea, ſi madeant, aſperam hyemem, & intenſam præſagiunt: nimirum quod occulto ſenſu ſecuturi frigoris, tanquam de futuro cogitantes, ſequè neceſſariò inſtruentes, priusquam terra gelu conſtringatur, & duretur, abundantius ſuccos attrahunt. Roſas etiam & violas, ſi ſub autumno, ſecundò florent, peſtilitatem afferre compertum eſt. Non enim iteratò prodeunt, niſi conſtitutio aeris præcedat auſtrina, καὶ ἀχυμώδης, quæ longo duret tempore, ut anno 1552, cum

ſæva lue accidit: viſæ enim ſunt ſub autumnum roſæ & violæ ſatis odoratæ, in maxima copia. Et montium ſonitus, nemorumq́; mugitus, & ſine aura, quæ ſentiatur, ludentia folia, lanugo populi, ſpinæve volitantes, & aquis innatantes plumæ, omnia prænuncia tempeſtatum obſervata ſunt. His ſimilia multa alia habentur.

CAPUT XXVIII.

DE SYMPATHIIS ET ANTIPATHIIS RERUM *in natura, juxta ſeriem qualitatum.*

DUplici narrationis progrediemur genere, in relatione antipathiarum, & ſympathiarum rerum: altero ad normas & claſſes qualitatū: altero ad diverſa diverſorum generum & ſpecierum ſingularia directo, ratione formæ ſpiritualis, in toto, in parte, in ſpeciebus, in individuis, tam eorum quæ in cœleſti, quam il-

lorum

lorum quæ in elementari mundo continentur. De primis ergo primùm. Congruunt inter se rerum naturæ, aut diſſident ac pugnant, ſecundum qualitates aut omnes aut aliquas. Quantum ad qualitates primas: conveniunt hominum naturæ ex cæteris mixtorum generibus, quæ temperata ſunt; adverſantur eidem quæ mediocritatem excedunt, tantoquè infeſtius lædunt, quanto qualitatum à mediocritate receſſus eſt longior. Lædunt ergo plus, quæ tertio quartoq; gradu frigoris & caloris, aut qualitatis medium ſuperant: ut, opium mandragora, arſenicum, thaſia, & quicquid eſt hujusmodi, cæteris mitioribus, & moderatioribus. Inflammatis frigida, perfrigeratis calida conveniunt, quatenus ſimplicem reſpiciunt finem. Cicuta hominibus venenum; ſturnis nutrimentum: veratrum hominibus medicina, coturnicibus alimentum eſt: aqua frigida Salamandram, ova ſerpen-

pentum flammam extinguunt, quamvis ova vicissim comburentur. Et συμπάθεια, & ἀντιπάθεια, quæ à secundis & tertiis oritur qualitatibus, manifesta est. Naturæ conveniunt temperata, immoderata naturæ, & sibiipsis repugnant. Occlusis & aliquo humore infarctis contraria sunt, quæ aperiant, viscidis quæ incidunt, crassis quæ attenuant, duris quæ emolliunt, laxatis quæ astringunt, glutinosis quæ detergunt, exasperatis quæ leniunt. Eadem ratio quarti generis qualitatum. Capiti conveniunt majorana, betonica, pæonia, salvia, acorum, cubebæ, castoreum, moschus, ambra, rosæ, violæ, camphora. Thoraci glycyrrhiza, amygdalæ dulces, iris marrubium, hyssopus, helenium, crocus, mel, saccharum, tragacanthum, adjantum, hordeum, violæ. Cordi, tum ex his quædam, tum alia, ut cinamomum, buglossum, rosmarinus, coralla, uniones, os de corde cervi, argentum, aurum, &c. Stomacho præ

exte-

cæteris mentha, maſtiche, garyophilla, acorum, macis, abſynthium, nux moſchata, aloë, &c. Hepati abſynthium, ſpicanardi, epithymum, &c. Venenis adverſantur, ſcordium, terra lemnia, bolus, bezoar, &c. Hujus convenientiæ ratio in hoc genere quarto evidens eſt experientia. Sed horum proprius locus eſt in practicis medicorum libris, in quibus de his copioſius diſputatur.

CAPUT XXIX.

EXEMPLA OCCULTAE FORMAE SYMPATHIarum & antipathiarum in natura, quoad totam ſubſtantiam, proponit.

INſunt quibusdam virtutes rerum ſecundum totum, vel totam ejus ſubſtantiam, vel omnes ejus partes. Sic piſciculus ille Echineis ſolo tactu fertur navem ſiſtere, quod non efficit ſecundum aliquam partem, ſed ſecun-

eundum totam suam substantiam. Hyænam hoc habere totâ substantiâ suâ, quod umbræ ejus contactu canes obmutescant. Insanus & furens elephas ariete conspecto mansuescit: taurus quantumcunq; ferox mitescit alligatus ad ficum. Ovium à lupo demorsarum carnes fiunt teneriores, sed lana earum neta textaq́, pediculos gignit: equi ubi vestigia luporum contingunt, obstupescunt, & totis convelluntur pedibus: lupus ex contactu bulborum scyllæ resolutus fatiscit: homo quem lupus prior viderit obmutescit, Cancer polypodio objecto callos pedum & ungulas exuens abjicit: vespertiliones hæderæ suffitu necantur: vipera fagi ramulo tacta stupet. Ciconiæ platani foliis à nidis vespertiliones arcent, hirundines apio, silphas & blattas, aro, noxias bestias corvi, upupæ adjanto, cornices supinâ verbenacâ, perdices arundine, gramine. Aquilæ & (ut quibusdam placet) leones galli cantu:

tu: earundem pennæ cæterarum avi-
um pennas devorare in proverbio est.
Sic torpedo solo contactu etiam ex
longinquo, prævalidos facit stupesce-
re artus. Inter multa quæ à medici
longâ experientiâ observata sunt, nu-
merantur hæc. Chelidonia confer
visui, non secundum aliquam, sed se-
cundum omnes suas partes, non mi-
nus radice, quàm foliis & semine; u-
væ passæ conveniunt humano jecino-
ri. Bilem occultâ vi trahit rhabarba-
rum, scammoneum, euphorbium, a-
loë; Phlegma, colocynthis, agaricum
semen carthami; melancholicum
humorem, myrobalani Indi, epithy-
mum, polypodium, helleborus. Tot
substantiâ lupinum epar, humano j-
cinori prodest. Ratione etiam abd-
tæ causæ ruta ad ficum consita læti-
provenit, & ficum fœcundat: bras-
ca inimica est ficubus; magnes fe-
rum trahit, & vicissim abigit, si all-
confricetur, extinctam vim recip-
ablutus sanguine hircino. Adama-

& ſuccinum alliciunt, arripiuntquè paleas, pilos, feſtucas omnis generis; ſuccinum ſolum reſpuit ocymum; adamas ſolo hircino ſanguine molleſcere dicitur. Aſtroites aceto impoſitus vertitur in orbem; Sapphirus ſcorpionum ictibus medetur; argentum vivum crudum auro inimicum; cætera metalla non transmittit, ſed ſuſtinet, auro cedit ut ſubſidat: auro item illitum, mox ubi ignem ſenſerit, fugitivus mercurius avolat. Addo, quod exanimata fermè jumenta, & extincta penè, atq; homines ex virium deliquio objectu panis revocari viderim. Nec canum ejulatum, aut ferociorum equorum hinnitum, editas eventorum præſenſiones; deridendum cenſeo: his quippe animalibus nullum hominibus familiarius; quapropter credibile eſt, ſympathiam & antipathiam quandam, & ut obſervatum eſt, non exiguam inter ſe fovere.

CAPUT XXX.

DE INIMICIS ET AMICIS OCCULTARUM FORMARUM operationibus in elementatis, quatenus sub scala partium, specierum, & Individuorum, comprehenduntur.

DE abditarum causarum, ipsiusque rei essentiæ & subsistentiæ operationibus diximus. Notandum porro, quod quædam virtutes insint rebus etiam secundum aliquas earum partes: non solum sympathia, (ut c 24. dictum est) sed etiam inimiciti quadam: utpote in lingua, in oculis vel aliis quibusdam membris, & par tibus. In oculis basilisci, & cataphle pæ, est virtus violentissima occidend homines, ubi ipsos viderint. Simi lem virtutem inesse dicunt in ocul hyænæ, quæ quodcunq; animal asp xerit, id è vestigio hæret, stupescit, & se movere non potest. Eandem vi tutem, ut antea meminimus, attri

buunt oculis luporum quorundam, non ominum, ut quidam refert: qui si quem prius viderint, is stupescit, & raucescit, adeo, ut si clamare voluerit, non habeat vocis ministerium, quod etiam Virgilius confirmare videtur, his verbis:

——— vox quoq; Mœrim
Jam fugit ipsa; lupi Mœrim videre priores.

Sic & fœminas quasdam in Scythia fuisse legitur, & apud Illyricos & Triballos, quæ quoties aliquem iratæ aspexerant, eundem interemisse dicuntur. Sic & Telchines Rhodi populi leguntur fuisse, qui omnia aspectu suo in pejus commutaverant, & propterea à Jove submersos esse. Ex his potest dari ratio: quare fascinatores per fascinationes operaturi, hujusmodi animalium oculis in collyriis, & non aliis utantur partibus, ad similes passiones introducendas. Conformitate rationis antecedentium, formicæ fugiunt ex corde upupæ, non ex capite, vel pede, vel oculis. Sic

fel ſtellionum in aquâ tritum congre-
gare muſtelas dicitur, non cauda vel
caput: & fel caprarum vaſe æneo ſub
terra concluſum ranas congregat: &
jecur caprinum papilionibus & tine-
is omnibus contrarium eſt: cor ca-
nis habentem, fugere canes circum-
fertur: & vulpes gallinaceos non at-
tingunt, ſi vulpinum jecur comme-
derint. Ergo ſic habent res pluri-
mæ diverſas virtutes, per diverſas
ſuas partes diverſimodè diſperſas,
prout ipſis ſecundum receptibilium
diverſitatem, cœlitus infunduntur:
aliter enim hic loqui vix nobis con-
ceditur: ut oſſa in humano corpore
non recipiunt niſi vitam: oculi vi-
ſum, aures auditum. Et narrat qui-
dam, quod in humano corpore ſit os
quoddam minimum, ab Hebræis Luz
appellatum, magnitudinem ciceris
habens, quod nulli corruptioni ob-
noxium eſſe, nec igne vinci, ſed
ſemper illæſum conſervari aſſerunt.
Ex hoc oſſe dicunt Judæi, velut
planta

planta ex ſemine, in reſurrectione mortuorum corpus noſtrum animale repullulaſcet. Cæterum virtutes rerum, quæ non ratione, ſed experientiâ inveſtigantur, dupliciter mixtis inſunt; ut etiam antea diſputatum fuit: quatenus inſunt ſubſtantiæ toto: & ejus parti. His ſubjicitur ordo ſpecierum & individuorum, ita ut ex bipartita inessendi conditione, quadripartita fiat occultarum virium diſpoſitio inquiſitionis. Priora duo membra abſolvimus, reſtat ut conſideremus virtutes rerum quibusdam ineſſe ſecundum ſpeciem: ut animoſitas & audacia in Leone & gallo: timiditas in lepore & agno: rapacitas ſeu voracitas in lupo: fraudulentia in vulpe: adulatio in cane: avaritia in corvo & cornice: ſuperbia in equo: ira in tygride & apro: triſtitia & melancholia in cato: libido in paſſere: & ſic de ſimilibus. Et ſciendum, quod maxima pars naturalium

virtutum, ſpecies comitetur. Rebus quoq; ſecundum individuum inſunt virtutes abſconditæ: ut ſunt quidam homines, qui vehementer abhorrent aſpectum cati: ita ut ſine horrore graviſſimo aſpicere illa animalia non poſſint: qui quidem horror non ineſt ipſis ſecundum ſpeciem humanam, quod probatione non indiget. Et narrat Avicenna tempeſtate ſua vixiſſe hominem, quem venenata omnia fugerunt, morientibus omnibus, quæ fortè mordicus illum apprehendiſſent, ipſo omnino illæſo. Et Albertus refert ſe in Agrippina Colonia vidiſſe puellam, quæ araneas in eſcam venabatur, eoq; cibi genere inſigniter delectata, aleretur. Atq; ego nominare poſſum quosdam, qui, quando placet, araneas etiam maximas devorant ſine noxa; credo beneficio antidoti alicujus, quod contra omnis generis venena extare apud quosdam, probatiſſimum & mirabile non ignoro. Hinc quibusdam pla-

placet hæc ſententia: quod individuum aliquod nunquam paſſum ægritudinem, conferat omni ægritudini: & os hominis mortui, qui nunquam habuerit febres, ſuſpenſum ſupra patientem, liberet à quartana. Inſunt ergo individuis ſingulares multæ virtutes, à corporibus cœleſtibus infuſæ, ut demonſtratum fuit.

CAPUT XXXI.

DE ANTIPATHIA ET SYMPATHIA, SIVE DE Amicitia & inimicitia eorum, quæ in mundo cœleſti ſunt, corporum.

GEneraliter, ſpecialiter, & individualiter, de antipathia & ſympathia naturæ diſſeruimus, nunc per diſtributionem eadem membra brevi ordinis repetitione perſtringemus. Videbimus ergo ex ſequentibus, clariore quàm antea factum proceſſu, quod omnes res habeant inter ſe ami-

citiam & inimicitiam ; aliquod ti-
mendum & horribile, inimicum &
destructivum : & econtra aliquod ex-
ultans, lætificans & confortans. Pri-
mum ergo inter cœlestia sermo erit
de elementorum & planetarum ini-
micitia & amicitia simplici & abso-
luta.

Inter Elementa	Ignis	adversatur	aquæ	de his copiosius an-
	Aer		terræ	tea: & præter hoc quod dictum, inte- se conveniunt,

1. Inter cœlestia

♄	amici sunt	☿ ♃ ☉ & ☽	Inimici sunt	♂ & ♀
♃	amica sunt	☉ ☽ ☿ ♀ ♄	inimic. solus	♂
♂	amic. sola	♀	Inimici sunt	☉ ☽ ☿ ♃ ♄
☉	amici sunt	♄ & ♀	Inimici sunt	♂ ☿ & ☽
♀	amici sunt	☉ ☽ ♂ ☿ & ♃	inimic. solus	♄
☿	amici sunt	♃ ♀ & ♄	Inimici sunt	☉ ☽ & ♂
☽	amici sunt	♃ ♀ & ♄	Inimici sunt	♂ & ☿

Acce-

Accedit planetarum amicitia & inimicitia secundi ordinis, ex oppositione domorum, prognata inter sese, hoc respectu.

2. Saturnus opponitur ☉ & ☽ : Juppiter ☿ : Mars ♀.

Oritur etiam inimicitia & fortior equidem, gradibus oppositionis exaltationum : & tali conditione contrariatur:

3. Saturnus ☉ : Juppiter ♂ : Venus ☿.

Amicitia autem planetarum fortissima est, si conveniunt naturâ, qualitate, substantiâ, & potestate. Sic concordiam fovet.

4. Mars cum ☉ : Venus cum ☽ : Juppiter cum ♀.

Et inter se summam colunt amicitiã, quorum exaltatio est in domo alterius. Hac lege amicus est

5. Saturnus ♀ : Juppiter ☽ : Mars ♄ : Sol ♂ : Venus ♃ : Luna ♀.

Et observandum id, quod indies experientia docet, & tam peritissimorum

mathematicorum scriptis, operationibusque confirmatur ferè quotidianis; tales scilicet esse inclinationes rerum in his inferioribus, quales sunt amicitiæ & inimicitiæ superiorum, quibus elementaria inviolabili, & inevitabili necessitate subjecta sunt. Nihil autem aliud habitudines istarum amicitiarum & inimicitiarum sunt, quàm inclinationes quædam rerum in se invicem: talem vel talem rem appetendo si absit; quæ movetur ad illam nisi impediatur & requiescat in adepto; fugiendo contrarium, & abhorrendo approximationem ejus, nec quiescit in illo. Hac sententia ductus Heraclitus, professus est omnia fieri per litem & amicitiam.



CAPUT XXXII.

DE AMICITIA RERUM IN MUNDO ELEMENTARI, *utpote, mineralium, vegetabilium, & animalium, tam inter se, quam cum aliis rebus.*

INclinationes amicitiæ in mineralibus ſunt: qualem habet magnes, attractivam virtutem in ferrum, & ſmaragdus in divitias & gratiam: Jaſpis in partum: achates in facundiam. Vegetabilibus amicitiæ argumentum ineſſe declarant, præter antè dicta, naptha quoque, quæ trahit ignem, proſilitq; in eum undecunq; viſum. Similiter aproxis herbæ radix, à longinquo attrahit ignem, ut naptha, Eadem inclinatio eſt inter palmam maſculinam & fœmininam, quarum ſi ramum unius ramus alterius tetigerit, complicant ſe in mutuum amplexum; nec fructum fert fœmina abſq; maſculo: & amygdala

ſolitaria minus fœcunda eſt. Vites ulmum amant & opium; & oliva myrtum mutuo diligit, ſimiliter oliva & ficus. Quod ad animalium amicitiam pertinet; colitur hæc inter merulam & turdum, cornicem & ardeolam: pavones & columbas: turtures & pſittacos: unde verſus Sapphonis:

Et variis albæ junguntur ſæpe columbæ,
Et niger à viridi turtur amatur ave.

Sic amici ſunt muſculus & balena. Præterea non ſolum animalia inter ſe amicitiam exercent; ſed etiam cum aliis rebus, ut cum metallis, lapidibus, vegetabilibus: partim etiam cum meteoris concordiam alunt. Hac ratione cattus gaudet nepetâ herbâ, ad cujus affricationem concipere traditur, & defectum maſculi ſupplere. Equi in Cappadocia ſe flatui exponunt venti, atque ex ejus afflatu & inſpiratu concipiunt. Sic ranæ, bufones, ſerpentes, & quæcunq; venenoſa reptilia, gaudent propter plantam, quæ apium riſus dicitur: quam qui

come-

comederit, ridendo moritur, si vera sunt, quæ narrant quidam scriptorum. Rursus testudo, quando à serpente in fuga læditur, comedit origanum & confortatur per illud: & ciconia in serpentum pastu origano sibi salutem quærit: mustela pugnatura contra regulum comedit rutam: unde cognoscimus origanum & rutam possidere vim contra venena. Horum exempla apud Plinium & alios habentur.

CAPVT XXXIII.

DE NATVRALI ARTE MEDICA, QVAM QVAEdam animalia, abditæ causæ beneficio per amicitiam, ad alias res vegetabiles, callent.

INest quibusdam animalibus naturalis peritia & ars innata medicinalis: quod ex sequentib. manifestabitur. Nam buso, quando alieno morsu seu veneno vulneratur, solet adire rutã vel salviam, & locum vulneris affri-

care, & ſic ſe à periculo veneni libe- rare. Hinc credi poteſt, homines ſu- perioris ſeculi, à brutis multa admo- dum morborum remedia, & rerum virtutes edoctos fuiſſe. Hirundines enim monſtravere chelidonium vi- ſui ſalubrem herbam, quia cum ea pullorum ſuorum oculis mederi di- cuntur. Pica cum ægrotat, lauri fo- lium in nidum immittit, & ita con- valeſcit. Similiter credutur, palum- bi, graculi, perdices, merulæ, lauri foliis annuum purgare faſtidium, quo etiam cervi chamæleontis venenum extinguunt. Et Leonem ſcribunt ſi febricitat, devoratâ ſimiâ convaleſce- re: upupa paſtâ uvâ læſa, adjanto ſi- bi medetur: dictamnum herbam ad extrahendas ſagittas utilem, cervi e- docuerunt, ſiquidem telo percuſſi, idem ejus herbæ paſtu ejiciunt: ſimi- le facere Cretenſes capras legitur. Et cervæ paulò ante partum ſe purgant herbâ quâdam, quæ ſeſelis dicitur: ſi- militer à phalangio tacti, cancros e-
dendo

dendo sibi salutem quærunt. Porci à serpentibus læsi eodem sibi pastu medentur; & corvi cum se venenatos sentiunt toxico gallico, quercum, vel ut alii dicunt corvativam, quærunt pro medela. Elephantes Chamæleonte devorato sibi oleastro succurrunt: ursi à mandragora læsi, devoratis formicis evadunt: medentur sibi anseres, anates, cæteræq; aquaticæ aves herbâ sideritide; columbæ, turtures, gallinæ, herbâ helxine; grues junco; pantheræ contra aconitum sibi humanis stercoribus medentur; apri hæderâ; cervæ herbâ cinnare.

CAPUT XXXIV.

DE INIMICITIA VEGETABILIUM, MINERAlium, & animalium, erga diversas res sublunares.

E Narratis contrariâ ratione, opponuntur inimicitiarum inclinatio-

nationes: & sunt ejusmodi inclinationes sicut odium naturæ, & tanquam ira, indignatio, atq; contrarietas quædam imperiosa, ut res fugiat suum contrarium, ut propellat tanquam fugientia à facie ejus. Ex vegetabilibus ergo inimicitiæ suæ demonstrat efficaciam; rhabarbarum adversus choleram, scordium erga venenum: helleborus contra melancholicum succum: aliaq; quam plura, quæ superius enumerata sunt, & huc referri possunt. Sub mineralium inclinationibus comprehendo: odium sapphyri in antracem & ardores febriles, & ægritudines oculorum: amethysti in ebrietatem: Jaspidis in fluxum sanguinis & noxia phantasmata: smaragdi & agni casti in libidinem: achatis in venena: peoniæ in morbum caducum: coraliæ in atræ bilis illusiones, & dolores stomachi: toparii in ardores spirituales, ut sunt, avaritia, luxuria, & omnis generis excessus amoris; electrum omnia ducit

præ-

præter ozymum, & quæ oleo perlita sunt, cum quibus naturali quadam antipathia diſſidet. Inimicitiam erga diverſas res in animalibus arguunt inclinationes adverſæ eorundem: ut formicarum ad origanum herbam, ad alam veſpertilionis, & ad cor upupæ, à quorum præſentia fugiunt. Eſtq́, origanum ſolifugis contrarium, & ſalamandris reſiſtit, & cum braſſica tam pertinaci odio diſſentit, ut alternatim ſeſe conficiant. Sic oleum oderunt cucumeres, ut in hamum ſeſe curvent ne attingant. Et dicunt quod fel corvi fuget & deterreat homines, à loco ubi abſconditum fuerit cum quibusdam aliis rebus. Sic adamas diſſidet cum magnete, ut juxtà poſitus non ſinat ferrum attrahi: & apium raninum fugiunt oves tanquam mortiferum: & quod mirabilius eſt, ſignum hujus mortis natura depinxit in hepatibus ovium, in quib. figura apii ranini deſcripta naturaliter apparet: ſic capræ ozymū odiunt, ut nihil ſibi ducant pe-

ſtilen-

ſtilentius. Oliva quoq; cum meretrice in tantum diſſentire creditur, quod ſi ab ea plantata fuerit, vel infructuoſam illam perpetuò manere, vel omninò areſcere. Nihil magis timet Leo, quàm faces argentes, neque ullâ aliâ re atq; his domari creditur: & lupus neq; ferrum timet, neq; haſtam; ſed lapidem, cujus projectu, vulnere facto, gignuntur lupo vermes.

CAPUT XXXV.

DE ANIMALIUM TERRESTRIUM, VOLATIlium, & aquatilium inter ſe gratia inclinationis abdita: inimicitiâ.

INter animalia diſſentiunt mures & muſtelæ: unde dicunt, ſi caſeis vel coagulo adjungatur cerebrum muſtelæ, eosdem à muribus non attingi, nec vetuſtate corrumpi. Scorpionibus contrarius eſt ſtellio in tantum, ut viſu quoq; pavorem eis afferat,

rat, & torporem frigidi ſudoris: ideo in oleo interficiunt & putrefaciunt, cum eo ictus inungentes ſcorpionum. Eſt quoque inimicitia inter ſcorpiones & mures: quare etiam mus ſuppoſitus puncturæ ſcorpionis, curare eam traditur. Adverſantur etiam ſibi invicem, ſcorpius & ſtalabrones; aſpides & ichneumones. Fertur quoq; ſerpentibus nihil æquè adverſari quàm cancros, ſuesque percuſſos hoc pabulo mederi. Sol etiam cum ſit in cancro torqueri ſerpentes dicitur, atq; crocodilus & ſcorpius ſe mutuò perimunt. Et ſi quis crocodilum Ibidis pennâ tangit, immobilem eum reddit. Otidis avis avolat viſo equo, & cervus fugit viſo ariete; fugit etiam viſâ viperâ: elephas audito grunnitu ſuis, & leones viſo gallo timent; & pantheræ non attingunt perunctos jure gallinarum, præcipuè ſi allium ei fuerit incoctum: pantheris quoque eſſe in metu hyæna dicitur, ut ne conentur quidem reſi-

ſtere,

ſtere, & aliquid de corio ejus attingere. Similiter habet agnus inimicitiam & contrarietatem lupi contra ſe, & horret, & fugit ipſum, & timet. Reformidat camelum equus, adeo ut nec ſpeciem ejus intueri, nec ſentire ſuſtineat. Elephas furens viſo ariete miteſcit; coluber nudum hominem timet, quem veſtibus perſequitur; taurus ferociens ſi ficu alligatur, flacceſcit impetus ejus. Eſt etiam inimicitia inter vulpes, cygnos, tauros, & cornices. Inter aves quoq; perpetuum bellum gerunt cornices & noctuæ; milvius & corvus; pitalles & turtures; bicuthus & pagrus; clorius & turtur; ægepii & aquilæ; corvi & dracones. Et refert Plinius: quod eſalon parva avis, ova corvi frangens, cujus pulli infeſtantur à vulpibus invicem, hæc catulos ipſius, ipſamq; inſequitur & vellit, quod ubi viderint corvi contra auxiliantur, velut adverſus communem hoſtem. Acanthis avicula in ſpinis vivens, idcirco aſi-

co asinos odit flores spinæ devorantes. Egithus vero avis minima in tantum cum asino dissentire fertur, ut sanguinem eorum non coire compertum sit, quo etiam rudente egithi ova & pulli pereunt. Terrestribus & volatilibus hæc est inimicitia; aquatilibus non secus. Delphines & balenæ; cestris & lupus; murenæ & congrus inter se discordiam fovent: polypum quoq; in tantum locusta pavet, ut si juxta videat, omnino moriatur; locustam congri, & congrum rursus polypi lacerant.

CAPUT XXXVI.


DE RERUM INIMICAE ET AMICAE INCLInationis virtutibus, ratione animalium viventium distributis.

Restat nunc virtutum occultarum amicitiæ & discordiæ genus per vitã & mortem virtuatarũ distributum.

butum. Confiderabimus ergo in hoc capite proprietates illas, quæ infunt elementis in vita tantum. Itaque echineis fiftit navigia; & regulus ac cataphlepa interimunt vifum dum vivunt, poft mortem verò nihil tale agunt. Similiter traditur in tormibus ventris, anate vivâ appofitâ ventri tranfire morbum, anatemquè emori. Et fimile eft quod dicit Architas: fi accipiatur cor recenter extractum ex animali, & adhuc calens, atq; vivens fufpendatur fupra patientem, quartanam tollit eam. Sic fi quis deglutit cor upupæ, vel hirundinis, vel muftelæ, vel talpæ, eo adhuc vivente & palpitante, confert ei ad memoriam, reminifcentiam, intellectum & divinationem. Hinc notandum generale hoc præceptum, quod quæcunque colliguntur ex animalibus, five lapides, five membra, five excrementa, ut pili, ftercus, unguiæ, illis adhuc viventibus auferri debeant: atque etiam fi fieri poteft, ipfis

ipsis postea adhuc vivis remanentibus. Unde præcipiunt, quando colligis linguam ranæ, eam vivam remittere in aquam: si colligis dentem vel oculum lupi, non interficias lupum, & sic de similibus. Et tradit Democritus: si quis extrahat ranæ marinæ viventi linguam, nullâ aliâ parte corporis adhærente, ipsâquè demissâ in mare, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, ad quæcunq; interrogaveris, vera respondebit. Simili modo oculos ranarum, ante solis ortum adalligatos ægro, ita ut ranas cæcas dimittant in aquam, tertianas abigere promittunt; eosdemq́; cum carnibus lusciniæ in pelle cervina adalligatos, præstare vigiliam, somno fugato. Sic & pastinacæ radius alligatus umbilico, fertur faciles partus facere, si viventi ablatus sit, ipsaq́; denuo in mare demissa. Sic ferunt serpentis oculum dextrum adalligatum contra epiphoras prodesse, si serpens vivus dimittatur. Et est quidam

dam piſcis ſive ſerpens maximus, nomine Myrus, cui ſi eruatur oculus & alligetur fronti patientis, ophtalmiam ſanare dicitur; piſci verò oculum renaſci, ſed altero illum capi lumine, qui viventem non dimiſerit. Dentes etiam omnium ſerpentum, quando vivi exempti ſunt, ſuſpenſi ſupra patientem quartanam, eam ſanare dicuntur. Similiter dente talpæ vivo exempto, ea dimiſſa ſanari dentium dolores: nec adlatrare canes, caudam muſtelæ, quæ dimiſſa ſit, habentes. Et narrat Democritus, linguam chamæleontis, ſi viventi erepta ſit, ad judiciorum eventum pollere, eandemque ſalutarem eſſe parturientibus circa domum: cavendum autem ne domo inferatur, quia eſſet pernicioſiſſimum.



CAPUT XXXVII.

DE INIMICIS RERUM INCLINATIONIbus, consideratis virtutibus, in animalibus mortuis.

PRæter allatas virtutes viventium quædam etiam permanent post mortem, de quibus Platonici dicunt; quod res in quibus minus mergitur idea materiæ, in his adhuc postquam mortuæ sunt & defunctæ fuerint, id quod immortale est, mirabilia operari non cessat. Sic in herbis & plantis avulsis & arefactis adhuc viget & operatur ipsa virtus, ab Idea quondam infusa. Inde est quod sicut aquila in vita sua omnes aves superat & vincit; sic etiam eâ defunctâ pennæ ejus omnes aliarum avium pennas & plumas destruunt & corrodunt. Haud absimili ratione pellis Leonis omnes alias pelles consumere dicitur. Et pellis hyænæ destruit pelles pantheræ, ut si utriusq; contrariæ

suspen-

ſuſpendantur, ferunt decidere pilos pantheræ. Dicitq; Orus Apollo in hieroglyphicis, ſi quis hyænæ pelle ſuccinctus medios feratur in hoſtes, à nullo læditur, & intrepidè præterit. Similiter habet agnus inimicitiam & noxietatem lupi contra ſe, & horret ipſum in vivis, & fugit ac timet. Poſt mortem lupi pellis corrodit agni pellem. Et dicunt, quod ſi ſuſpendatur cauda, vel pellis, vel caput lupi ſupra præſepe, triſtantur oves, nec comedunt aliquid præ nimio timore. Et narrant, quod quædam talia non agunt ſolum contactu corporeo, ſed etiam quandoque in harmonia vocali, ut tympanum factum de pelle lupi, obmuteſcere facit tympanum ex pelle agni confectum. Sic tympanum factum de pelle ericii marini, procul fugat omnia reptilia, per quamcunque diſtantiam ſonus ejusmodi auditus fuerit. Et fides ſive chordæ factæ ex inteſtinis lupi, ſi cum ovinis fidibus in lyra aut cytha-

ratensę fuerint, nullam inde fieri consonantiam manifeſtum eſt.

CAPUT XXXVIII.

DE QUALITATIBUS MATERIALIBUS AD SYMpathiam & antipathiam pertinentibus.

INnumera rerum natura ſuppeditat omnium conſenſuum & diſcordiarum exempla. Scrutatur autem hæc in mixtis, & quantum poteſt, oſtenſis cauſis explicat naturæ notitia & conſideratio. Quatenus verò ex evidentibus conſenſionum ac diſſenſinum notis ceu divinat, aut de quibusvis elementorũ mutationibus ac cæterorum mixtorum; aut de orituris tempeſtatibus, aut dę abditis abſtruſisq; rerum naturis diſſerit, in claſſem conſcendit divinationum Phyſicarum. Inſunt enim ut hominibus ita cæteris mixtis notæ ſenſibus ſubjectæ, quarum ductu, aliquo modo, interiores naturæ pernoſcuntur, & com-

prehenditur quid cuivis aptum ſit ac-
commodatumq́; quid noxium & ad-
verſum. Pertinent autem ad ratio-
nem concordiæ diſcordiæque, non
tantum activæ formales qualtates, ſed
& illæ quæ ex analogia mixtionis co-
mitantur concretionis modum; quo-
rum apud Ariſtotelem duplex genus
reperitur: unum eorum quæ ἐντελε-
χείᾳ inſunt mixtis; ut durum, molle,
denſum, rarum, craſſum, viſcidum,
friabile, aſperum, lene & ſimilia: al-
terum eorum quæ κατὰ δύναμιν καὶ ἀ-
δυναμίαν exiſtunt: ut liquabile, non
liquabile: fragile, non fragile: ſectile,
inſectile: ruptile non ruptile &c.
Oleum aquæ non miſcetur; quia un-
ctuoſa cum pertinaci lentore cohæ-
reant, nec in minimas partes facilè
comminuantur, alienos liquores non
facilè admittunt: butyrum contra
quanquam unctuoſum ſit, fervorem
ſacchari tamen reſtinguit. Auget
enim lentorem ſacchari rarefacti, &
extendi in ampullas, à copia agitato-
rum

rum vi caloris halituum partes attenuatas ac divulsas, prohibet.

CAPUT XXXIX.

DE QUIBUSDAM AD AMICITIAE OCCULTAE,

divinationumq; variarum doctrinam pertinentibus, membris, & de virgula divina, cujus usus à metallariis celebratur.

Φυσιολογικὴ seu notitiæ & considerationis naturæ discursum, quatenus ambit omne genus qualitatum materialium & formalium; occultarum & evidentium: communium & propriarum, in plantis, animantibus, & fossilibus breviter perstrinximus: nec non earundem vires abditas, effectiones mirandas, convenientias inter se, & repugnantias, inspeximus; complexi quasi omnes species Physiologiȩ: ut Φυτοσκοπικὸν quod de plantis differit: ζωοσκοπικὸν, quod de animalib. agit: ὀρυκτοσκοπικὸν, qꝫ fossiliū conjectat naturas interiores, adje-

ctâ contemplatione eorundem naturæ interioris & abditæ; qualitatum, harum graduum; effectionum; & discriminũ. Ad Φυτοσκοπικὸν pertinent illæ ſuperiùs commemoratæ, in plantis aliquibus notæ indicantes initia, finesvè, aut conditiones, quatuor univerſalium anni temporum. His affines ſunt divinationes metallariis uſitatæ, quæ fiunt ſciotericis, & virgulâ divinâ. Eſt ea ex corylo deciſus bifidus ſurculus, quo venas illi auri, argentivè feraces explorant, inclinante ſeſe eò virgulâ, quà ſub terra venæ feruntur atq; incedunt. Quâ vi id ſoli corylorum præſtent ſurculi, & non item cæterarum arborum, quæ in iisdem provenerunt locis, eodem terræ altæ refectæq; ſucco, obſcurum eſt; niſi quod conjicio συμπάθειαν habere corylos ad metalla connatam, & occultam, eam augent, roborantq; ſucci cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggeſtâ radicibus terrâ, nutritionis causâ ſugunt, & hauriunt. Sciotericis,
vias

vias ductusque venarum profundissimos, miro artificio pervestigant & designant, diriguntque operarios ne devient, ex planorum triangulorum natura. Porrò prænuncia quoq; signa tempestatum ex aqua, aere, terra, desumere possumus, gratiâ demonstrandæ virtutis abditæ, atq; Ideæ elementaris. Et quantum ad distinctionem generum pertinet; ὑδατοσκοπίαν habemus, quæ signa præbet præcedentium tempestatum in mari: ut si tranquillum mare murmuret, aut littora, ripæq; tranquillæ resonent, spumæquè diversæ & aquæ fluitent, bullantes. Ἀεροσκοπίαν inspiciemus, & in hac inveniemus, præeuntia quasvis mutationes τῶν κασιόστων cœli in ipso aere. Consideremus γεωσκοπίαν, deprehendemus notationem signorum in terra apparentium. Sed si vellem integrè persequi partes singulas, mirabilium omnium in mundo universo, exhaurienda & percurrenda mihi esset tota rerum natura. Ideo filum dissertatio-

tionum & narrationum; ex ſententia variorum auctorum productum, & horum auxilio extenſum, abrumpam, atq; per appoſitionem ſequentium, quibus Ideæ hujus anima innodatur, in globum quaſi, convolvam.

CIRCVS IDEAE THEticus.

1. De ſympathiis & antipathiis, quæſtio per ſe tota obſcura, & procul à conſpectu noſtrorum ingeniorum remota: attamen quantum à Genio impetraverim ſupponam.

2. Opinio eſt, & ſuperius hujus fecimus mentionem: ſingulis ſpeciebus certas conſentire ac præſidere ſtellas, ordinato aliquo & familiari dominio, quod tamen demonſtrari ulla ratione firma non poſſe, deprehendo: rationem audio: cujus vi formæ & conſtituuntur, & his virtutibus inſtruuntur.

3. In ſeptentrionem magnes inclinat, ſolis circumactum heliotropium, lupinum, & alia imitantur: quæ ſympathiæ ratio?

4. Inficiabitur equidem nemo ſanus, totã & imam ſeu elementarem mundi regionem, quam circumfluxu ſuo cingit cœlum, atq; complectitur lumine, motuq́; cœleſti; gubernari non caſu aut fortuito, ſed certis ac ſtatis legibus, quas architectus in prima creatione inſtituit & ſingulis impoſuit.

5. Idem judicium de his incluſis infinitaq́; varietate corporibus mixtis, & mixtione ipſa, conformationeque corporum, naſcentium atque intereuntium.

6. Omninò ergo fateamur neceſſe eſt, inferiora vim aliam & ab elementari diverſam haurire, 1. ex motu corporum cœleſtium.

7. 2. Et concurſu luminis, ac virtutis æthereæ, & cœli fotu, inferiorumquè conceptu generantur, & abſolvuntur elementaria univerſa.

8. Orbis elementaris lumine cœleſti colluſtratur: aut radiorum vibratu, ſi ad lucendum ſunt imbecilliores ſaltem percellitur.

9. Inde & lumen, & calorem, opificem universorum proximum concipit: per se aut obscurus ϗ ἀδίοπτος, ut terrena sunt omnia: aut lumini pervius (cujus tamen naturâ suâ expers) ut quæ sunt διαφανῆ ac pellucida, ut ignis, aer, aqua, quæque ex his conflata sunt.
10. Vel etiam ex terrena aliqua parte sed modica, multoque aereo & aqueo perspicuo diluta, ut crystalli vitrum, gemmæ pellucidæ.

Punctum Ideæ hypotheticum.

1. Hoc cœlesti lumine non tantum, ut vulgus judicat, cogitemus fugari ac depelli tenebras: sed alia inest vis longè præstantior & divinior.
2. Hâc elementaria omnia tam simplicia quam composita, excitato calore vivifico, afficit, mirificè temperat, miscet inter se ac subigit, subacta connectit, coagmentat, continet, juxta leges à DEO opifice & architecto præscriptas, & intra definitas ab eodem metas.

3. Nec

3. Nec putemus illam quâ reguntur ac ſuſtinentur elementaria, vim ex elementorum tantum concretione conflatam eſſe ac propagatam.

4. Nec ipſa inter ſeſe mutuo elementa, contrariâ ac repugnante vi, ita ceu hebetantur & obtunduntur, ut quaſi defatigata ac repreſſa contentione longa, de effreni & indomita vi remittendo aliquid, miteſcant, ac tandem complexu coalituq; in corpus unum coëant.

5. Minimè ergo hanc ſtabilem & in multa ſecula perdurantem amicitiā ſola parit vehementia inimici, adverſiq; certaminis.

6. Verum alia eſt vis ſuperior è cœleſti profecta lumine, & vi hujus accenſa, quæ certamen hoc gubernat, ac moderatur.

7. Eadem, domitis fractisque, atq; ad concordiam redactis, imponit ac præficit ceu cuſtodem nexus illius atque coalitus; accenſum nimirum certo & analogo demenſo luminis & calo-

ris in tota illa massa æthereum, divinum & lucidum spiritum.
8. Idem ceu flamma in elychnio præcipua pars concreti ex elementis corporis, vires universas illius ciet, vegetat, acuit, moderatur, ac perficit.
9. Idq; efficit, ceu opifex actionum omnium, aut formæ opificis proximum ac præcipuum organum.
10. Ardet enim lucetq; in omni corpore composito, æthereus quidam & lucidus spiritus.
11. Hoc demonstrant in viventium corporibus illæ ipsæ, micantium in venis & arteriis totoq; corpore flammulæ.
12. Et in homine maxime vitales, & animales spiritus; qui iis quibus insunt partibus, respondent.
13. In aliis corporibus ubi igne concepto exarserunt, erumpentis flammæ lumen, splendorq; convincunt,
14. Flammam conspicamur esse fumum ardentem, quem calor vehemens, ex inflammabili corpore attenua-

nuato, aut diſſoluto penitus, elicit atque educit.

15. Et hunc non ſimplicem ſed compoſitum, quale ſcilicet eſt ſubjectum è cujus ſubſtantia quaſi exprimitur.

16. Hic ſi ad flammam concipiendam & alendam ſit idoneus (non ſunt enim omnia φλογιστὰ) non prius tamen efflagrat, quàm calor vincens diſſolvat mixtionem, & pellucidas partes, ex opacis terreis quaſi eruat & explicet.

17. Hoc ubi fit, medium flammæ tanquam centrum obtinent, opacæ partes naturâ terreæ & graves.

18. His pellucidæ leviores circũfunduntur, eâdem quâ in elementis ſerie.

19. Per has eniteſcit & effulget ſplendor lucidus, qui repentè, cum impetu quodam, eoque momentaneo fumo, perpetuo ac diſploſo, ceu coagmentationis nexu ac vinculo divulſo, proſilit & diffunditur.

20. Ardet etiam & lucet eòusq; donec pabulum è corpore inflammato

ſuppetit: cujus partes terreæ tandem in cinerem rediguntur ac diſperguntur: perſpicuæ in fumum ſimplicem ac ſterilem evolant.

21. Is ſplendor unde emergit? à cœleſtinè lumine ſolis accenditur? an vero ex eo eniteſcit corpore, de quo fumus exilit?

22. Cœleſtem eſſe fateri cogimur: quippe ſola cœleſtia, luce non aliunde petita vel hauſta, ſed inſitâ ac propriâ, lucere conſpicamur.

23. At momentaneo forinſecus inſultu luminis externi flammam accendi, & atrum atq; caligantem fumum colluſtrari, tunc cum exardeſcit, qua ratione evincemus?

24. Quomodo & qua vi ſeſe inſeret, & admiſcebit lumen externum? & in quo figetur ſubjecto? & quo fovebitur pabulo? cum alienum ſit à natura mixti.

25. Prius ergo lumen corpori ineſt, impreſſum certo dimenſo luminis ætherei cum formaretur.

26. Et

26. Et vehitur tenui puroq́; & pellucido ſpiritu, qui vehementi calore, diremptis, ac ſeparatis partibus mixtis, diſſimilibus, obſcuris, & perſpicuis, quaſi vi effractis carceribus, quibus coërcetur & obſcuratur, cum impetu quodam effertur, & explicatus mixti vinculis, ſibiq́; redditus, redit ad naturam ſuam, ac lucet.
27. Talis æthereus ſpiritus, & in omnibus eſt inferioribus naturis; & lucis ætheree propago eſt atq; particula, & corpora terrena cœlo cognata efficit, ac copulat.
28. Ex hac cognatione cum cœlo oritur inter ſe admiranda conſenſio ac ceu conſpiratio elementarium ac cœleſtium, quam in ſe quisq; experitur.
29. Et quis eſt qui in ſeipſo non ſentiat, & radiorum ſolarium, vivificiq́; caloris vim, & variantem ſeſe cum cœli ſyderumq́; curſu, ac poſitu, temperiem circumflui aeris?
30. Viget animus alacritate quadam, incitatus cœli moderatione.

31. Recreantur corpora & ſpiritus: quaſi perpurgati & colluſtrati, ſerenantur ex ortu ſolis, debilitati: ejusdem occaſu, illa torpeſcunt; hi velut obtenebrati caligant.
32. Commutatione temporum quadripartita temperantur naturæ.
33. Acceſſu ſolis vegetantur vires, velut reſuſcitatæ, excuſſæq; veterno: diſceſſu ejusdem ſeu deſtitutæ adminiculis neceſſarii pręſidii elangueſcunt.
34. Effundimur etiam nonnunquam in repentina gaudia, exilimus, geſtimus; rurſus conturbamur, dejicimur animis, mœremus.
35. Sunt & ſenſus cogitationesquè acriores aut hebetiores, uno magis quàm alio tempore, non ex ulla cauſa obvia & nota, ſed ut vis illa ætherea in corporibus noſtris à cœleſti lumine incitatur aut retunditur.
36. Inde ſunt & illæ in plantis, heliotropio, ornithogalo, cichorio, tragopogo, ad ſolis circumactus converſiones, & lingulæ ſcioterici, aut navigatoriæ

toriæ pixidis magnete illitæ inclinationes, perpetuæ directæque ad boream.

37. Hæc à cœlo communicata elementaribus, æthereæ naturæ particula, præcipua est pars substantiæ elementarium, & formas complet atq; absolvit.

38. Hanc si conjungamus iisdem, cum reipsa absque omni dubio insit. certius paulo explicari demonstrariq; sympathiæ & antipathiæ ratio potest.

39. Nasci hanc ac proficisci, vel ex ordine nexuque corporum & inter se continente cohæsione, vel ex cognatione & familiaritate ipsarum naturarum, aut earundem dissimilitudine ac repugnantia, nec dubium, nec obscurum est.

40. Quamvis non perinde obvia est, atq; conspicua ipsa similitudinis aut discrepantiæ ratio, abdita penitus atq; abstrusa in analogia mixtionis: tamen de hac quantum sciri potest investigasse atque considerasse, & dulce fuit & utile.

HIS ERGO CANDIDE LECTOR, TIBI PARTIS PRImæ universæ Philosophiæ priscæ partem primam, utpote intellectualem lectuq; jucundam exposui: practica in votis est, si in fatis: nec secus in hac ac in illa.

Ibunt quo poterũt, quo nõ poterunt ibi stabunt,
Ingenium, Genius, fataq; vota dabunt.

CURIOSO CENSORI D.

Mitto coax ranis: cras corvis: vanaq; vanis.

MEMINERIS TUI cujusdam ingeniosi.

Homo, quid huc illucq; vortis lumina?
Quid curiosus quæritas,
Sub extero quid forte fiat limine?
Quor scire quodvis discupis?
Quin huc ocellos, si potes, vortas tuos,
Rectè memento *quin* tui.
Sat heic habes, quod rectè agas tute ipsumet.
Vt vita nostra est debilis.
Cave cave, si oblitus heic vives tui.
Et videris quid cæteri
Agant, graves pœnas luas ne improvidus:
Rectè memento *ergò* tui.

INDEX



INDEX CAPITUM.

De for-

De Con-

De qua-

FINIS.



